



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Ge
36
945

4236.945




Harvard College Library

FROM

The Author.


2 Feb. 1881.



Case

110

Se 36.945



DE
ALCESTIDIS ET HIPPOLYTI
EVRIPIDEARVM INTERPOLATIONIBVS

DISPVTTATIONIS
DE INTERPOLATIONE EVRIPIDEA SPECIMEN

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XVI MENSIS AVG. A. MDCCCLXXXVIII HORA XII

PVBlice DEFENDET SCRIPTOR

IOHANNES HENRICVS WHEELER
MASSACHVSETTENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

LVDOVICVS SEELBACH
LVDOVICVS ENTHOVEN
PAVLVS WOLTERS

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

1874

4236,945


1881. Feb: 2,

Gift of


The Author.


FRANCISCO · BVECHELER

HERMANNO · VSENER









COMPENDIA SCRIPTURAE.

| | |
|----------|---|
| D. | significat Dindorfium |
| K. | Kirchhoffium |
| N. | Nauckium |
| N. E. S. | Naucki <i>Euripideische Studien</i> |
| P. | Prinzium |
| W. | Wilamowitzium |
| W. A. E. | Wilamowitzi <i>Analecta Euripidea</i> . |

De interpolatione Euripidea disputaturum decet me breviter exponere quae sit res quam tractare ausus sum quibusque maxime rationibus inductus eam tractandam esse iudicaverim.

Tot tantisque difficultatibus impeditum est iudicium de poesi Euripidea, ut vix alterum inter nobiliores poetas inveneris cui tam ultra iustum modum et laudem et vituperationem impertierint homines quam ei cuius non omni numero laudanda est Medea neque Helena damnanda. Viris autem doctis qui iudicium ferre studuerunt nihil quicquam magis obstitisse quam spuria additamenta, quibus deformatae sunt fabulae nobis traditae, persuasum habeo. Quanti momenti existimanda sit vera et certa distinctio genuinorum spuriorumque licet uno exemplo eodemque satis luculento demonstrare. Suasit nuper Mauius¹ El. 518—544 tamquam non Euripideos eiciendos esse: si totus hic locus reapse poetae subditus est, quis non videt amaram illam Schlegeli irrisionem aliqua ex parte futilem reddi?

Fuerunt etiam qui negarent Euripidem solitum antiquorum scriptorum fatum passum esse caecaque admiratione omnia quae sub eius feruntur nomine pari studio explanarent defenderent laudarent: sed non iam ei nobilem obtinent inter grammaticos locum. Variis tamen criminibus obnoxii sunt qui versus olim Euripidi adscriptos in suspicionem vocant, inscitiae insulsi-tatis temeritatis amen-

1 Comm. phil. in honorem Th. Mommseni 291 sqq.

tiae: neque omnino iniuria, nam plerumque sine via et arte egerunt magis casui sive felici sive infelici obtemperantes quam ullis certis rationibus. Sed qua via indagandas esse interpolationes putem antequam dicam, nota nonnulla breviter praefari libet.

Fabulas Euripideas iam quarto ante Christum natum saeculo passas esse histrionum licentiam hodie vix sanus quisquam negaturus est. Grammatici Alexandrini, si scholiis fides sique ipsius rei probabilitatem spectas, textum fabularum simili modo atque poematorum Homericorum constituerunt conlatis quam plurimis quamque optimis exemplaribus veteribus. Atque conlatorum exemplarium a nullo superatum esse auctoritate publicum Atheniensium apographon opinio est quam satis probabilem reddit nota illa Galeni narratiuncula. Apertis testimoniis iam dudum satis constat probe scivisse Alexandrinos non omnia Euripidis esse quae nomen eius ferebant neque puris e fontibus fluxisse fabularum notitiam. De uno tali testimonio temporis robigine paene obscurato pauca sum in appendicula disputaturus: multo gravius id quod nuper W.² in lucem protulit, vel potius gravissimum, cum luce clarius nunc appareat quod iam antea coniectura valde probabili adsequi licebat, sanos criticos antiquos quibuscum fecerunt sobrii recentioris aetatis, tota Rheso Euripidi abiudicata, vim argumentationis non in eo posuisse quod minus fida fuisset huius fabulae quam ceterarum traditio sed in ipsius fabulae verbis et rebus.

Ante legem Lycurgeam histrionum satis largam fuisse licentiam testimonium luculentissimum est ipsa lex. Publicum illud Atheniensium exemplar qui viri conficiendum curaverint, quae illi subsidia criticae artis, quam ingenii vim adhibuerint nescimus neque de his rebus gravissimis ullo teste nisi ipsis fabulis umquam uti poterimus.

Qui de antiquis histrionibus disputarunt nostrae aetatis usum theatralem commemoraverunt: unum tamen exemplum idemque nobilissimum mihi visum est utile fore si verbis expressis indicarem. Quae fuerint Shaksperi fabularum fata qui norunt eos velim respondere quantus esset hodie labor quae ipse scripserit discernendi, si exemplaria typis excusa nulla exstitissent ante Theobaldum, qui primus poetae verbis constituendis criticam adhibuit artem. Putasne hominem parum exercitum omnia expellere potuisse quae poetae praestantes vilesque versificatores, quae Drydenus, quae spurius ille Shaksperi filius, quae alii commentum erant? Hodie confitentur critici acuti et eruditi se desperare de pristina Ricardi III forma restituenda³: quid si Theobaldus legisset Cibberi versus vetustissimi exemplaris margini adscriptos atque recentiore in libro cum Shaksperianis commixtos? Neque tamen inscius sum aliam esse re vera crisin Shaksperianam aliam Euripideam. Nonnullis in rebus facilius est Shaksperiana, in nonnullis difficilius. Extra ipsam fabulam minus est causae cur Henricum VIII pro centone habeamus quam cur in eandem suspicionem vocemus Iphigeniam Aulidensem, neque fortasse plus causae cur Periclis maximam partem Shaksperio abiudicemus quam cur Rhesum Euripideam esse negemus. Sed in utraque re idem est grammatici laboris finis: genuinis poetae verbis pristinam reddere formam.

Scimus Euripidea spuriiis contaminari: debemus igitur spuria quoad eius fieri potest eradicare. Neque iustus erga poetam est qui omnia genuina esse affirmat usque dum spuria esse demonstrantur: socordiae est si quis id facit. Nihil est affirmandum: omnia sunt diligentia indefessa in quaestionem vocanda. Nam eodem modo coniectura nititur qui genuinum esse versum affirmat atque qui spurium: quod consentaneum est multo plures esse versus genuinos

3 Cf. Delius *Abhandlungen zu Shakspeare*, 234 sq.

quam spurios, hac sola externa ratione defenditur unusquisque versus. Atque gravior est eius culpa qui poetae famam obscurat unum spurium versus defendens quam eius qui illum duobus bonis et genuinis privat: sed et hoc facinus et illud vitabit grammaticus religiosus.

Interpolationes discernendi hanc viam esse ingredientium putavi. Primum singulis fabulis diligenter lectitatis de unaquaque quaerendum est quae sint partes quas ipsa fabula respuat. Vbi cumque inveniuntur interpolationis indicia, altera oritur quaestio, eaque non leviter mittenda, qui sint eius fines. Porro semper et ubique est quaerendum quae cuiusque generis fuerit addendi versus occasio quidque maxime efficere voluerit interpolator. Nam homines erant histriones antiqui neque quicquam sine causa fecerunt quamvis saepe pusilla absurdaque fuerit causa. Neque in hac re magis spectanda est orationis forma quam utriusque poetae mens et ratio. Denique in classes et familias distribuendae sunt interpolationes undique collectae ut unius cuiusque classis signum vel nota quasi obrussa sit ad quam suspectos locos exigamus.

Sed huiusmodi scriptiuncularum angustiae cum tantam operis molem non recipiant, nunc initium tantum profero, quo Alcestidis et Hippolyti conatus sum interpolationes indagare definire explicare. A fabulis prioris aetatis esse ordiendum arbitratus sum, quippe quae structuram habeant ita translucidam ut in eis paulo certiore iudicio pronuntiare possimus quid poetae consilio conveniat. Paulo certiore, dico, iudicio: nam etiam in his fabulis prorsus difficile est iudicium neque tali sum confidentia praeditus ut sperem me nulla quae suspicione digna sint non in suspensionem vocasse neque etiam me nulla in falsam suspensionem vocasse. Hoc tantummodo spondeo, me omnia quae feci indefesso veritatis studio fecisse neque quicquam me protulisse, quin ipse iterum iterumque ponderaverim.

Neque dum aliud ago verborum scripturam negle-

gere potui, atque ubi verum invenisse mihi videor bis terve coniecturas meas proferre ausus sum. Sed ad textum Euripideum constituendum maximi momenti esse rectum de duplici quam habemus recensione iudicium nemo negabit. Statuit nuper W.⁴ codices nostros omnes pendere ex uno eodemque libro scholastico saeculi post Christum primi, quam sententiam probabilitate nonnulla commendari video. Non desunt tamen causae cur suspicer Palatini Laurentiani-que codicum archetypon ad superiorem aetatem esse referendum, exscriptum fuisse e libro non ad Didymi commentarios sed ad exemplar Alexandrinum melioris notae exacto. Haec tamen suspicio num vera sit annon disceptare non est mei propositi: id tantum certum esse videtur: lectiones non corruptas quas peculiare habent Palatinus Laurentianusque non casui tribuendas esse sed rationem suam habere. Conieci igitur grammaticum eum qui horum librorum archetypon exscribendum curavit aut ignorasse aut de industria neglexisse nonnullas Alexandrinorum emendationes, magis antiquas lectiones rettulisse. Ut ita existimarem cum aliis tum maxime hac ratione inductus sum, quod in locis nonnullis interpolatis secundae classis codices interpolatoris mentem aperiunt, cum ceterorum futiles emendationes eam obscurant neque tamen spuria sana reddant. Sed talia ad singulos locos adnotavi.

I.

DE ALCESTIDIS INTERPOLATIONIBVS.

V. 10 *ὄσιον γὰρ ἀνδρὸς ὅσιος ὢν ἐτύγχανον*
 cum suspectum habuissem, spurium esse certis argumentis docuit me vir illustrissimus mihi hoc loco non nominandus.

⁴ Herm. XIV, 178.

Menda non sanabilia duo sunt. Atque tales verborum lusus quamvis saepe ab ipsis tragicis adhibitos non raro tamen captant interpolatores.

V. 16 *πατέρα γεραίαν θ' ἢ σφ' ἔτικτε μητέρα*
quem ut suspectum notavit D. emendare studuit N. E. S. II. 49, recte uncis inclusit P. Fortasse monendum est ea quae Phaedrus disserit de Alcestidis fabula Plat. Symp. 179 B. C. non huc esse referenda sed ad v. 636—647.

V. 27 *φρουρῶν τόδ' ἡμαρ, ᾧ θανεῖν αὐτὴν χρεών*
otiosissimus est. Putasne Euripidem tam pauperis fuisse ingenii ut postquam

20

*τῆδε γὰρ σφ' ἐν ἡμέρᾳ**θανεῖν πέπρωται καὶ μεταστῆναι βίον*

scripsisset continuo hunc scribere potuerit? Copiosam verborum supellectilem plerumque non habebant in promptu interpolatores: quae in contextu inveniebant ea usurpabant: *φρουρῶν* sumptum est e 35. Quid efficere voluerit huius versus auctor apertum est: obscura ei visa sunt verba 26 *σύμμετρος δ' ἀφίκετο*, quae sunt praecedentium aptum summarium.

V. 31 *ἀφοριζόμενος καὶ καταπάνων*

Nauckio E. S. II. 49 sq. damnanti adstipulor, dubito tamen num fines interpolationis recte ille statuerit. Quamquam cum N. consentio nullam obstare rationem grammaticam quin

30

Φοῖβ' ἀδικεῖς αὖ τιμὰς ἐνέρω

sine v. 31 legamus, mihi tamen is esse videtur horum versuum nexus, ut multo facilius crediderim ambos ab eadem manu esse profectos, praesertim cum poetae sententia neutrum requirat. Eam sententiam si paulo accuratius examinemus, nescio an artem quandam subtiliorem poetae inventuri simus, quam pro ingenio suo parum intellexerat interpolator. Ex-

periendi causa pellamus hos duo versus atque sic scribamus :

ᾶ ᾶ.

τί σὺ πρὸς μελάθροισ; τί σὺ τῆδε πολεῖς; 29

οὐκ ἤρκεσέ σοι μέρος Ἀδμήτου 32

διακωλύσαι, Μοίρας δολίῳ

σφήλαντι τέχνῃ; νῦν δ' ἐπὶ τῆδ' αὖ

χέρα τοξίρη φρουρεῖς ὀπίστας, 35

ἢ τόδ' ὑπέστη, πόσιν ἐκλύσασ'

ἀντὴ προθανεῖν Πελοῦ παῖς;

Prodit Orcus in scaenam : Apollinem videt : subito horrore attonitus paene obstupescit : quae sit inter lucem et noctem, inter vitam et mortem oppositio non nescit, neque qua caritate Apollo cum Admeto coniunctus sit. Sed horrori eius par est ira atque vix momenti mora interposita voce odii contumeliaeque plena exclamat

τί ΣΥ πρὸς μελάθροισ; τί ΣΥ τῆδε πολεῖς;

Quibus in interrogationibus si reputaveris quam iterati istius pronomini emphasis praegnans sit, quamque plane ac plane demonstret Apollinis praesentiam Orco omnem metum movere, sique reputaveris in hac re nihil inesse quod non statim intellecturi fuerint spectatores, videbis interrogationes tales esse quae responsum neque requirant neque patiantur. Eis continuantur aliae interrogationes quibus indignationem apertius Orcus prae se fert, sed dici vix potest quantopere langueat in hac serie interpositum istud responsum. Si poeta talia in fine orationis ita posuisset ut nobis fingere possemus Orco animum primo vehementer concitatum paulatim requievisse, fortasse ferre possemus : hic subitae isti quieti subito interruptae nullus est locus. Neque melius rem expediunt qui post v. 31 signum interrogationis ponunt : neque enim minus languet oratio et efficit haec interpunctio ut verborum ἀδικεῖς αὖ et postea νῦν δ' ἐπὶ τῆδ' αὖ prorsus eadem sit

sententia: nam necesse est utrumque *αὖ* ad eadem verba *οὐκ ἤρκεσέ σοι* sqq. referamus, ideoque ipsum istud interrogandi signum supervacaneos esse versus suspectos demonstrat. Coniciendum est, puto, interpolatorem magis forma praecedentis enuntiati spectata quam sententia non tolerasse interrogationem responso carentem: cuius quidem rationes novo stabiliunt exemplo vetus illud dictum: *τὰ μὴ παρὰ τὴν τούτων γινόμενα παρατήρησιν καὶ τὰς τῶν ποιητῶν ἀρετὰς καταρρίπτει καὶ τὰς ἕξεις τῶν ἀναγινωσκόντων καταγέλαστος παρίστησι*⁵. In v. 30 unum inest quod ut exspectemus paene efficit consuetudo poetae, nomen dico Phoebi. At sciunt iam dudum spectatores quid sit Apollini nomen. Restat ut adnotem in fine 37 interrogandi signo interpungendum esse: constat tota oratiuncula ex interrogationibus quae pariter omnes responso carent.

Graviter offendunt 58. 59:

ΑΠ. πῶς εἶπας; ἀλλ' ἦ καὶ σοφὸς λέληθας ὦν;
ΘΑ. ὠνοῖντ' ἄν οἷς πάρεστι γηραιὸς θανεῖν.

qui versus nihil proferunt nisi explicationem versus 57:

ΘΑ. πρὸς τῶν ἐχόντων, Φοῖβε, τὸν νόμον τιθεῖς.

Sed huius versus satis lucidi neque Athenienses explicationem desideraturi erant neque Euripidem mihi credibile est dedisse. Miratus sum in hac altercatione deorum qui se invicem oderunt et aspernantur sententias illas tam pressas tamque nervosas quibus ab alio ad aliud festinant argumentum, sed in his duobus versibus omnia languere confitendum est.

⁵ Dion. Thr. 2. Histriones interdum peccasse in lectione verbaque poetae perverse intellexisse non mirum est. Atque si antiqua testimonia requiris, ea collegit Heimsoethius ad alium usum in commentariolo de voce *ὑποκριτής*. Vide si placet schol. ad *Med.* 86 et cf. schol. ad *And.* 6.

Nam neque quicquam rogat nec pollicetur Apollo nec recusat Orcus, neuter profert novum argumentum, nulla inest aut similitudo aut concentus cum conviciis quae praecedunt et secuntur⁶. Sed si hos versus molestos removimus, omnia bene se habent. Postquam edixit Orcus se maxime gaudere juvenum funeribus atque reiecit vel potius contempsit morae praemium, intellegit Apollo inrita esse omnia sua consilia atque Orci verbis

57 πρὸς τῶν ἐχόντων, Φοῖβε, τὸν νόμον τιθεῖς
respondet ille

60 οὐκὸν δοκεῖ σοι τήνδε μοι δοῦναι χάριν;

Vt ceteras omittam rationes quibus viri docti formam v. 59 explicare studuerunt, unius Kirchhoffi adnotationem tangere libet. Ille vir doctissimus scholion profert Vaticanum: μέμφονται ἂν τὴν ἐμὴν δύναμιν οἱ ἐν γῆρα τελευτῶντες. . . ἄλλως· παρὰ τῶν πολυχρονίων ἀγοράσειαν ἂν οἱ πλούσιοι τὸν ἐκείνων χρόνον κτλ. Cuius scholii rationem ita explicat: "duplex igitur olim ferebatur lectio et ὄνουντ' et ὠνοῖντ', quarum posteriorem prioris esse correcturam persuasum est. Antiqua et genuina lectio fuit ὄνουντ', quae quum corrupta fuisset in ὄνουντ', proclivi sane errore mutata est in ὠνοῖντ'." Vt concedam rem ita se habere atque cum K. scribam

ὄνουντ' ἂν, οὕς πάρεστι γηραιούς θανεῖν,

liceat certe quaerere qui sensus in versu restet ita scripto. Quidnam afferat commodi ista lex eis quibus iam datum est senes mori? sed multorum saeculorum librarii perinde habebant ο et ω litteras neque duplex est lectio ὄνουντ' et ὠνοῖντ'.

6 Si negem sophisticas argutias aut fabulae temporibus aut deorum personis convenire, forsitan respondeas Euripidi talia in deliciis fuisse. Sed in hac scaena tam apertum est poetae consilium tamque absoluta arte et conceptum et perfectum ut ipsum nihil vidisse, sibi ipsi obstrepuisse mihi persuadere non possis.

Exstat sane in libris nostris forma ὄνοιτ', sed videtur alterius classis codicum archetypon rectum habuisse accentum. Deinde post prima initia scholia conscribendi non facile mutaturi erant librarii ὄναιτ' in ὄνοιτ', rarum id verbum Homericum. Sed etiam in pronomine grave est inter οὓς et οἷς discrimen. Praebent, puto, alterius classis libri antiquam spurii versus formam: cetera quae habemus ineptiae sunt magistellorum nimis argutae. Quominus librorum fidem propter accusativum γηραιούς impugnes prohibet clausula mutato casu interposita οἷς πάρεσι, qua minuitur vis attractionis grammaticae. Ceterum cf. Antiphan. fr. 122, 5. (Com. Meinek. t. III p. 66.)

Neque oratiuncularum v. 64—76 quibus di e scaena decedentes uterque suam spem et voluntatem declarant, pristinam accepimus formam. Versus intolerabiles:

70 κοῦθ' ἢ παρ' ἡμῶν σοι γενήσεται χάρις,
δράσεις θ' ὁμοίως ταῦτ', ἀπεχθήσει τ' ἐμοί

ieiecit D. sed nescio an menda vix minora criticos latuerint. Nonne mecum consentis ineptissimos esse 66. 67

Εὐρυσθέως πέμψαντος ἵππειον μέτα
ἄχημα Θρήκης ἐκ τόπων δυσχειμέρων?

Plus terroris obscuris minis inesse non inscius erat Apollo neque minus intellexit Euripides, qui sic scripsit

ἢ μὴν σὺ πείσει καίπερ ὤμὸς ὦν ἄγαν·
65 τοῖος Φέρητος εἶσι πρὸς δόμους ἀνήρ.

Noli negligere horum versuum asyndeton, quod mihi quidem indicium esse videtur quid voluerit efficere poeta. Hiscine bene continuari putas istos versus qui plane declarant quisnam sit ille vir terribilis? An existimas Herculem bene et eleganter per ista verba designari, nomine non adiecto? At si genuini sunt 66. 67, nulla est causa cur non adiectum fuerit nomen. Atque ipsa versuum

forma, ut in eiusmodi locis consentaneum est, crassioris ingenii notas exhibet. Quisnam defendere studebit praepositionem ita positam ut hoc loco posita est praepositio *μετά*? Ego quidem simile exemplum ubi nomen altero demum versu sequatur neque recordor neque potui invenire. Denique facili coniectura assequimur horum versuum originem. Ficti sunt ex versibus nostrae fabulae 481. 483:

*Τιρυνθίῳ πρᾶσσω τιν' Εὐρωσθεῖ πόνον.
Θερμὸς τέτρωρον ἄρμα Διομήδους μέτα.*

Sed etiam expulsis istis versibus displicent nonnulla. Legimus nunc:

*ἢ μὴν σὺ πείσει καίπερ ὤμους ὦν ἄγαν
τοῖος Φέρητος εἶσι πρὸς δόμους ἀνήρ, 65
ὄς δὴ ξενωθεῖς τοῖσδ' ἐν Ἀδμήτῳ δόμοις 68
βίᾳ γυναῖκα τήνδε σ' ἐξαιρήσεται.*

Nonne mecum consentis pinguis esse minervae poetam qui verba *τοῖσδ' ἐν Ἀδμήτῳ δόμοις* verbis *Φέρητος εἶσι πρὸς δόμους* continuaverit? Non sum inscius antiquis poetis verba duplicare licuisse paulo liberius quam nobis, si quando ex usu fuerit id facere, neque tam culpaverim repetitionem vocabuli *δόμοις* — quamquam minus intellego quid commodi sic adeptus sit scriptor — quam inelegantiam nominum Pheretis et Admeti ita positorum. Etiam si intercederent duo versus genuini, valde tamen hoc displiceret. Versus igitur 68. 69 non esse Euripideos, fictos esse sicut praecedentes a docto homine qui extremae fabulae meminisset persuasum habeo. At, dixerit quispiam, talia sunt in prologis Euripideis consentanea. Certe si exemplar habere licet Hippolyti prologum, in illo plane narratur paene tota fabulae actio. Sed de eo alio loco sum disputaturus. Nostra autem fabula a ceteris et tempore et rationibus ita divisa est ut eam separatim spectare liceat. Porro in ea prologi parte in qua nunc versamur certe non talia exspectamus. Pergamus ad Orci responsum

πόλλ' ἂν σὺ λέξας οὐδὲν ἂν πλέον λάβοις·
 ἢ δ' οὖν γυνή κάτεισιν εἰς Αἶδου δόμους.
 στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει·
 ἱερός γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονός θεῶν, 75
 ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἀγνίσθη τρίχα.

In hoc loco observanda sunt varia. Primum non est Euripideum illud οἱ κατὰ χθονός θεοί. Apud Sophoclem et Euripidem audiunt di inferi οἱ κάτω, οἱ κάτω σθένοντες, οἱ κάτω θεοί, numquam οἱ κατὰ χθονός θεοί. Minimus confiteor est hic scrupulus neque negaverim Euripidem id scribere potuisse. Huic tamen loco fortasse non erit prorsus alienum, si dicam me suspicari vocabulum κάτω Euripidi usitatum duobus locis esse restituendum ubi adhuc non legitur. Heracl. 592 praebent codices εἴ τι δὴ κατὰ χθονός, Stobaeus autem, quem secuti sunt Elmsleius K. N., refert κάτω. Eiusdem fabulae 1033 praebent et codices et editiones αἰεὶ κείσσομαι κατὰ χθονός. Si pro κατὰ hic et Or. 674 κάτω legimus, nullus restabit locus in Euripidis trimetris ubi legatur κατὰ χθονός vel κατὰ γῆς nisi cum verbo eundi coniunctum, nostro loco excepto⁷. Nostri autem loci, confiteor, vix adhuc refregi auctoritatem. Ad eum redeamus. Displicent genetivi ὅτου, κρατός. Paullo melior sane fit structura si antiquam emendationem accipimus a Macrobio servatam et ὅτω scribimus⁸. Quae sit ratio versuum 75. 76 satis indicat demonstrativum τόδε: nimirum gladium vibrare atque se ostentare voluit histrio. Sed definiunt 75. 76 praecedentis versus sensum — qui

7 Loci quibus praecipue nititur iudicium hi sunt, sane admodum pauci: Alc. 14. 45. 692. Hec. 49. El. 677. Tro. 1243. Praepositionis κατὰ usum Euripideum docent hi loci maximam partem melici: Alc. 107. 163. 618. And. 503. Hel. 344. El. 144. Hercul. 1158. Sup. 799. 1024. Hip. 836. Iph. Taur. 170. 1266. Locus certe corruptus est Ion. 1441.

8 Emendationem dico, nam probabilius, puto, adscribes ὅτου ipsi interpolatori quam aut grammatico aut librario.

melius erat indefinitus — atque arte cohaeret indicium de eis cum quaestione de v. 74:

στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει

quamquam conicio hunc non ab eadem manu scriptum fuisse atque 75. 76. Melius, dico, erat sensus v. 74 indefinitus. Hunc versum si attente scrutamur, quaestionem vitare non possumus quod voluerit Euripides in hac fabula Orci esse officium. In qua sane nonnulla novavit, nonnulla ita disposuit ut inter se repugnent: sed talia sunt certe suspicioni obnoxia nisi si qua ad ipsum fabulam necessaria sunt. Quo modo autem intellegere debemus illud *κατάρξωμαι*? Rem vix aliter imaginari possumus, nisi ut Orcus aut ingulaturus Alcestim aut crinem eius secaturus fuerit. Sed qui conveniunt haec cum eis quae secuntur? Moritur Alcestis in scaena, omnia sunt aperta, sed nullum verbum de tali Orci officio. In versibus autem 259 sqq.

*ἄγει μ' ἄγει μέ τις, οὐχ ὄρας; νεκῶν ἐς αὐλάν
ὑπ' ὄφρασι κυανανγέσι βλέπων πτερωτός Ἄϊδας*

poeta idem describit quod v. 25

ὅς νιν εἰς Ἄϊδου δόμον

μέλλει κατάξειν

indicavit. Deum qui se iam reliquorum oculis subduxit, qui tamen paulo antea spectatoribus apparuerat, videt moritura Alcestis atque intellegit quid periculi ille minetur. Deinde crinibus secandis si officio suo fungi potuisset Orcus, quoniam modo potuisset Hercules Alcestim ad vitam reducere, id quod iam nostro loco minitatur Apollo? Certe non eo modo quo postea reduxit, ut ipse narrat 1140

μάχην συνάψας δαιμόνων τῷ κοιρανῷ

et 1142: *τύμβον παρ' αὐτὸν ἐκ λόχου μάρψας χερσῖν.*

Res haec est: in prima media extrema fabula hoc voluit poeta Orci esse officium, Alcestim sub terram ducere: in hoc uno versu videtur id officium prorsus aliud esse.

Hunc igitur versum non Euripideum habeo. Conicio interpolatorem nimio ac perverso studio voluisse explicare illud *ἱερῆ θανόντων* v. 25, quo epitheto ornavit poeta deum ceteris poetis non notum⁹.

Igitur huic brevi dialogo finem, puto, per hos quattuor versus imposuit poeta :

Ἀπ. ἢ μὴν σὺ πείσει καίπερ ὤμους ὧν ἄγαν· 64
τοῖος Φέρητος εἶσι πρὸς δόμους ἀνῆρ.

Θα. πόλλ' ἂν σὺ λέξας οὐδὲν ἂν πλέον λάβους· 72
ἢ δ' οὐν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἄιδου δόμους.

Atque si utriusque dei animum et voluntatem spectas, optime rem exprimunt hi versus sipe additamentis, optime cum praecedentibus conveniunt. Noli neglegere sugillationes quibus Orcus Apollinis odio respondet. Observa vocabulorum argutas antitheses. Non sine emphasi repetit Orcus pronomen *σύ*: vocabulo *ἀνῆρ* respondet *γυνή*: vocabulo *εἶσι* respondet *κάτεισιν*: verbis *Φέρητος πρὸς δόμους* respondent *εἰς Ἄιδου δόμους*.

vv 77-135

Primum chori canticum 77—135 qui novissime inter choreutas distribuit Arnoldtius¹⁰ mihi videtur rem plerumque bene expediisse. Bene is demonstravit choreutas v. 86 *κλίει τις ἢ στεναγμὸν ἢ* et quae secuntur omnia ante valvas regiae stantes recitasse. Sed extremi versus anapaestici stante choro neque dum dialogi partes sustinente hic non habent proprium locum. Neque enim talem inter primam extremamque cantici partes exspectamus responsonem qualem statuit Arnoldtius, qui versus anapaesticos incedentis chori 77—85 *προφδόν* appellat, versus chori stantis 132—135 *ἐπφδόν*, neque apte conferri possunt 132—

9 Vix sanum tamen est *θανόντων*: *θανομένων* vel *θνησκόντων* desideramus.

10 *Chorische Technik des Euripides*, 153 sqq.

135 cum versibus anapaesticis Hipp. 170 sqq. qui versus eandem habent rationem quam nostrae fabulae 136 sqq.:

ἀλλ' ἦδ' ὀπαδῶν ἐκ δόμων τις ἔρχεται etqs.

Expellendos esse puto 132—135:

πάντα γὰρ ἦδη τετέλεστα βασιλεῦσι,
 πάντων δὲ θεῶν ἐπὶ βωμοῖς
 αἰμόρραντοι θυναί πλήρεις,
 οὐδ' ἔστι κακῶν ἄκος οὐδέν.

Qua de re si recte iudicavi, videtur mihi sequi cantum praecedentem inde a 112 — ἀλλ' οὐδὲ ναυκληρίαν — omnem toti choro adtribuendum esse. Neque, quamvis facile in duas partes dividi possit is cantus, ulla ei inest necessaria rerum responsio talis qualem in priori parte rectissime statuerunt docti viri codicum indicia secuti¹². Sed non his praecipue rationibus inductus sum ut 132—135 spurios haberem neque chori distributionem tetigi nisi istius maculae amovendae studio. Mendosos esse 132—135 nemo negat. Facilior erit mea disputatio si a Naucki ad-

12 Videtur id confiteri etiam Arnoldtius his verbis: *Vielleicht sind die im zweiten Strophenpaar von uns gewählten Vorzeichen mit einander zu vertauschen, so dass ἡμ.χ. β' beginnt, ἡμ.χ. α' schliesst. Dann würde das vorher zwischen den beiden Halbchorführern obwaltende Verhältniss auch hier noch zwischen ihren beiden Zügen fortbestehen, dass nämlich der zweite Halbchor völlig hoffnungslos ist, während im ersten auch hier wieder der Gedanke an eine, wenn auch nicht zu erwartende Rettung auftaucht.* Sed Arnoldtius si pro zu erwartende scripsisset zu verwirklichende, optima fuisset totius cantus notatio. In priori huius cantus parte neque plus neque minus est spei aut desperationis quam in altera parte: de salute non iam speranda canit chorus. Porro si in hoc cantu inesset sententiarum diversitas, necessaria esset ea divisio quam reiecit Arnoldtius loc. indic. Haec autem divisio probari non potest, quippe quae 112 sqq. — ἀλλ' οὐδὲ ναυκληρίαν κτλ. eidem chori parti tribuat cuius duci rectissime tribuuntur versus praecedentes 109 sqq. itaque partium responsionem neglegat.

notatione ordiar qui E. S. II. 53 his verbis locum explicabat: *nimmt man dies alles zusammen, so dürfte die Annahme nicht unwahrscheinlich sein, dass in der ursprünglichen Handschrift die Enden dreier auf einander folgender Zeilen unleserlich waren und in Folge dessen falsche Ergänzungen sich eindrängten: ich glaube daher die Worte τετέλεσται βασιλεῦσι, ἐπὶ βωμοῖς und πλήρεις als verdächtig bezeichnen zu müssen; räume jedoch ein, dass diese Worte nicht durchweg auf freier Erfindung beruhen, sondern auf einer mehr oder weniger willkürlichen Verwendung halb verbliebener Reste der ursprünglichen Schrift.* — Nicht plausibel ist mir Kirchhoffs Anordnung der Stelle:

πάντα γὰρ ἤδη . . .
 τετέλεσται
 βασιλεῦσι
 πάντων δὲ θεῶν
 ἐπὶ βωμοῖσι . . .
 αἰμόρραντοι θυσίαι πλήρεις,

wozu bemerkt wird: lacera systematis anapaestici membra in ordinem digessi lacunis dimidiorum fere versuum indicatis. Et N. et K. videntur mihi, pace virorum praeclarissimorum dixerim, levi hunc locum tetigisse bracchio. Nam quamquam facile talia conici possunt praebentque speciem admodum probabilem, oportet tamen hoc in primis quaeri, num librorum nostrorum ea fuerint fata, ut quae proferuntur coniecturae verae esse possint. Atque etiam si omnes qui nunc exstant libri ex uno tanquam fonte fluxerint tamen necesse est statuamus commune omnium archetypon valde antiquum fuisse. Nostro loco nullam exhibent codices gravem lectionis varietatem. Byzantinorum igitur librariorum incuriae quae insunt menda adscribere non licet. Atque si temporibus quibus nondum senescebant Graecarum litterarum studia antiqua eandem formam mendosam habebant nostri versus quam nos accepimus, vix vera esse

posse videtur coniectura Kirchoffiana, valde improbabilis Nauckiana. Corruptus est sane v. 132, sed restituta una litterula quam praebet codex gravissimus Laurentianus, ita ut βασιλεύσιν legamus, iusta corruptelae suspicio, ut mihi videtur, in τετέλεισται tantum cadit aut fortasse etiam in ἤδη. Sequentem versum paroemiaicum non est cur antiquo interpolatori adscribere dubitemus. Tota autem sententia quae, quamvis inanis Euripideque indigna, satis tamen perspicua est, rerum turbat nexum modo non tolerabili. Quod ut tibi appareat velim paulo accuratius ponderes praecedentes versus 130 sq.

• νῦν δὲ τίς ἔτι βίου
ἐλπίδα προσδέχομαι;

Quorum versuum sententiam hanc esse puto: *sicut res se habet (νῦν δέ), cum unicus salutis auctor Alcestem non iam morti eripere possit, unde speranda est salus? i. e. nullam possumus sperare salutem.* Habemus sententiarum plenum usque ad aptum finem progressum: non facile retrogressum patimur. Sed absurdus est retrogressus si chorus post 130. 131 haec addit: *nam omnia tentata sunt.*

Neque novum argumentum profero cum dico chorum his verbis:

119 θεῶν δ' ἐπ' ἐσχάραϊς
οὐκ ἔχω ἐπὶ τίνα
μηλοθύταν πορευθῶ

iam satis declarasse nullam in sacrificiis esse salutem. Accedit quod eiectis istis versibus multo melius cum chori cantu continuatur dialogus, quod praesertim in fabulae initio non levis est momenti. Necessarius est inter v. 130. 131

νῦν δὲ τίς ἔτι βίου
ἐλπίδα προσδέχομαι;

atque 139. 140

εἰ δ' ἔτ' ἐστὶν ἔμψυχος γυνή
εἴτ' οὖν ὄλωλεν εἰδέναι βουλοίμεθ' ἄν

nexus, quem nexum foede rumpunt versus interpositi 132—135 a re alieni. Neque tamen nego in eis aliquid inesse quod tragicam poesim sapiat. Fortasse materiam suorum versuum ex alia fabula conquisivit interpolator atque plus minus decurtatam in nostrum locum inseruit. Si quaeris cur iste iudicaverit opus esse additamento, hanc propono coniecturam, credo, non improbabilem. Desiderabat socors interpres praeteriti temporis mentionem cui opponi posset vox $\nu\tilde{\nu}$ v. 130, neque satis intellegebat cur memoratum fuisset praesens tempus. Sed nos iam vidimus voculae $\nu\tilde{\nu}$ prorsus aliam esse vim: non opponit tempus praesens praeterito, sed verum qui adest rerum statum statui exoptato qui non iam sperari potest¹³.

De v. 141—151.

Censet Muellerus (progr. gymn. Burg. 1876, p. 6) v. 144. 145 post 149 collocandos esse. Mihi tamen persuadere

13 Hunc sensum vocularum $\nu\tilde{\nu}$ $\delta\epsilon$ apud Atticos scriptores admodum frequentem esse nemini non notum est. Alterius huius formulae sensus, qui tempus praesens praeterito opponit, apud Thucydidem et Lysiam exempla pro portione pauca inveneris, alterius qui nostro loco necessarius est permulta. Quod poetae ea verba hoc sensu minus usurparunt non mirum est, neque tamen vitavit Euripides. Exempla usus Euripidei haec elegi: And. 78. Hec. 900. 1230. Hel. 292. 938. 1161 (quamquam hic locus nondum est, quod scio, sanatus). 1624. El. 1027. Hercul. 314. 440. 669. Hip. 649. 659. Iph. Aul. 968. 1214. Or. 504. 1134. Tro. 1171. Phoen. 501. Fr. 406, 6. 442, 3. 637, 7. 968, 3. Sed qui minus acute legit, istalia facile intellegit perverse, neque hoc solummodo loco Euripideo interpolatorem formula $\nu\tilde{\nu}$ $\delta\epsilon$ excitavit. Nam aliquid vidit Steupius, qui Med. 11 $\pi\epsilon\lambda\nu$ pro $\mu\acute{\epsilon}\nu$ scribere iubet: inscius tamen inopinansque demonstravit eiciendos esse 11—15. Iam dudum viderunt docti viri Medae prologum interpolationibus foedatum esse, sed usque ad hunc diem nemo, quod sciam, damnavit versum damnandum 86, qui absurde rem 92 sq. declarandam occupat.

non potui illum iustam adhibuisse medelam, quamvis acute mendum deprehenderit. Neque, puto, prudentiores criticos dissentientes habeo, cum dicam omnium coniecturarum eas esse difficillimas cum alias tum praecipue in his prioris ordinis fabulis Euripideis, quae traiectis versibus fiant. Iterum cauterio opus esse puto, atque ex his undecim versibus quattuor tantum genuinos esse habendos, quos ita scribendos propono:

ΘΕ. ἔλπεις μὲν οὐκέτ' ἐστὶ σῶσασθαι βίον, 146
πεπρωμένη γὰρ ἡμέρα βιάζεται.

ΧΘ. ἴστω νῦν εὐκλεῆς γε κατθανομένη 150
γυνή τ' ἀρίστη τῶν ὑφ' ἡλίῳ μακροῦ.

Si argumenta sane valida, ut par esse confiteor, quae hoc meum iudicium comprobent, a me poscis, nonnulla habeo quae tibi satis fore valde spero. Atque primum quaero quid sibi velit istud μὲν 146. In hac chori interrogatione tolerabilem esse eam voculam confidentissime nego: indicium est satis luculentum famulam hoc versu respondendi ad interrogationem chori initium fecisse, atque aptissimum est responsum. Euripideas esse argutias

ΘΕ. καὶ ζῶσαν εἰπεῖν καὶ θανοῦσαν ἔστι σοι. 141

ΧΘ. καὶ πῶς ἂν αὐτὸς κατθανοί τε καὶ βλέποι;

facile iudices, sed nos oportet paulo diligentius in rem inquirere. In eiusmodi lusibus, ni fallor, magis erant Euripidei quam ipse Euripides posterioris aetatis Graeci, neque non theatro gratum se parare sciebat qui Euripidi studebat eiusmodi spuria subdere. Commentorum suorum materiam admodum facile invenit interpolator. Nostrae fabulae v. 518—521 ad similem Herculis de Alcestide interrogationem simile dat responsum Admetus. Sed ipsum Euripidem nostro loco eundem adhibuisse verborum lusum quem ibi adhibuit mihi est valde incredibile, nam illo loco maximi est ad totam fabulae oeconomiam momenti mendacium quod Admeto tribuit poeta, neque ita stulte potuit ille agere ut

omnem quam elaboraverat gravitatem et effectum illius loci corrumpere atque etiam in risum verteret verbis paene eisdem nostro loco usus sine causa. Atque huic argumento quid momenti sit tribuendum velim ne prius indicaveris quam statueris quid veritatis in eis insit quae de v. 509—545 disputavi. Aperta est ratio versus 143

ἦδη προνωπῆς ἐστὶ καὶ ψυχορραγεῖ :

idem dicere voluit interpolator quod dixit poeta 19. 20:

ἐν χερσὶν βαστάζεται

ψυχορραγοῦσα.

Sed vocabulo *προνωπῆς* quod v. 186 invenit, ubi veram significationem vides, abusus est. Ad nostrum versum verissima est scholiastae adnotatio: *προνωπῆς: προπεπτωκνῖα*, valde autem artificiosum quod addit: *προνευκνῖα εἰς θάνατον*. Potest qui non iam pedibus sustinetur *προνωπῆς* esse: potest etiam *ἐν χερσὶν βαστάζεσθαι*, sed non eodem tempore. Quam facile potuerit socors interpolator id vocabulum 186 perverse intellegere videbis si reputaveris id in litteris non exstare nisi apud Aeschylum (Ag. 234) et Euripidem (Alc. 186. And. 729). Post Muellerti monitum v. 144 omni nexu carere vix negabis. Neque tamen quicquam proficimus si hunc et sequentem versum post 149 collocamus, nam ita v. 150. 151 proprio nexu privamus. Sed magis apparebit 144 ratio, si sequentem versum spectamus:

οὐπω τόδ' οἶδε δεσπότης πρὶν ἂν πάθῃ.

Haec non potuit scribere Euripides, nam excepto hoc loco sibi consentiens fingit ille Admetum maximo iam affligi luctu, sero sane, tamen ante mortem Alcestidis. Eum iam in summa desperatione summo maerore esse narrat eadem famula v. 201—203. Porro conferri velim Admeti verba v. 420. 421. Neque respondere tibi licet poetam v. 145 famulae ἦθος exhibere voluisse. Famulam in scaenam introduxit quae profundas regiae domus miseras choro et spectatoribus aperiret, atque nefas est statuere illum rebus alienis

corrupsisse hoc consilium. Sententiam v. 145 invenit interpolator eodem loco quo versuum 141. 142, in versibus dico 520—530, ubi Hercules Admetum monet luctui ante uxoris mortem non esse locum, quem ipsum monitum eo loco additamentis dignum esse indicavit aut idem aut alius interpolator.

Satis mihi dixisse videor ad demonstrandum famulae genuinum responsum ex versibus 146. 147 constituisse. Quod si ita se habet, non est cur multa faciamus verba de 148. 149

XO. οὔκουν ἐπ' αὐτῇ πρόσσεται τὰ πρόσφορα;

ΘΕ. κόσμος γ' ἔτοιμος, ᾧ σφε συνθάψει κόσις.

Declarare voluit interpolator ornatum funebrem iam esse paratum atque 149 declaravit, quem versum ut omnino inferre posset, non omni inventionis felicitate desertus eam finxit interrogationem quam 148 legimus. Cum Nauckio adstipuler delenti 632

οὐ γάρ τι τῶν σῶν ἐνδεῆς ταφήσεται,

facile mihi venit in mentem coniectura, eum qui v. 631 supplemento indigere indicaverat etiam nostro loco certum quasi fundamentum illarum ineptiarum ponere conatum esse. Fortasse paulo clarius elucebit hanc rem a nostro loco alienam esse, si reputaveris poetam inde a v. 157 demum quae nondum per totam urbem nota erant narrare. Unum restat animadvertendum. Tradunt secundi ordinis codices 146 *σώσασθαι*, quae lectio, quamquam P. cum Kirchhoffio et Nauckio eam in imam paginam relegat, videtur mihi et horum codicum auctoritate satis commendari et auctoritatis esse indicium. Numquam defuerunt qui cum Blomfieldio *σώσασθαι* in *σώζεσθαι* mutarent: nemo umquam mutasset *σώζεσθαι* in *σώσασθαι*¹⁴.

14 Lectionis *σώσασθαι* si defensionem grammaticam requiris, velim locis quos protulit Monkius Eur. Or. 779. Iph. Taur. 1016 addas etiam Hercul. 746 *ἤλπισεν παθεῖν γᾶς ἀναξ*. Hel. 432 *ἐλπὶς δ' ἔκ γε πλουσίων δόμων λαβεῖν τι ναύταις*.

Versus 183. 184

κυνεῖ δὲ προσπίτνουσα, πᾶν δὲ δέμνιον
ὄφθαλμοτέγῳ δέεται πλημμυρίδι

quod nemo tamquam spurios notavit valde miror. Unde conquisiverit interpolator sesquipedalia ista verba non est cur quaeramus: certe non sunt Euripidea. Fortasse in aliquo carmine legerat vocabula ὄφθαλμοτέγῳ πλημμυρίδι ubi minus absurda erant quam hic fiunt coniuncta cum πᾶν δὲ δέμνιον δέεται. Velim tecum reputes num haec poetice dicta sint. Me ipsum ne tu iudices de industria rem in ridiculum vertere si latine reddam, interpretationem proferam magis fidelem, confiteor, quam ingeniosam a nescio quo confectam quam in editione Glasguensi inveni. Ipsa verba habes: *osculabatur autem eum advoluta: totus vero lectus ex oculis manante rigabatur proluvie*¹⁵. Formae varietate satis mirabili curabat interpolator ne quis videret horum versuum ipsam rem eandem esse quam plene descripserat poeta 175. 176:

ἄπειτα θάλαμον ἐπεσοῦσα καὶ λέχος,
ἐνταῦθα δὴ δάκρυσε.

Occasionem nova inserendi dederunt verba πολλῶν δακρύων 185. Sed quis non videt nisi expulsis istis versibus aptam non esse rerum continuationem? Rettulit famula Alcestitidis ipsa verba: nunc in narratione eo redit unde digressa est. Restat ut moneam, quamquam res levioris

¹⁵ Multo magis poetice pro ingenio suo Georgius Buchanana- nus sic vertit:

Tum devoluta exosculatur lectulum,
totumque inundat lacrimarum flumine.

Sed num etiam ita expressa laudabilis sit sententia, numque, si qua in his verbis inest gratia, poetae Graeco potius quam Scoto sit tribuenda, tu iudex eris.

est in comparatione momenti, vocem *δέμνιον* 183 ante *δεμνίων* 186 etiam per se iustam movere suspicionem.

Suspecti sunt mihi 197. 198 :

*καὶ καταθανών τ' ἂν ᾤλετ', ἐκφυγών τ' ἔχει
τοσοῦτον ἄλγος, οὐπόθ' οὐ λελήσεται.*

De versuum forma nihil dicam: sententia haec esse videtur: Admeto mortem optabiliorem fuisse quam vitam. Aptiore loco eadem ipsi tribuitur Admeto sententia, v. 273. 274:

*τόδ' ἔπος λυπρόν ἀκούω
καὶ παντός ἐμοὶ θανάτου μεῖζον*

et 277:

σοῦ γὰρ φθιμένης οὐκέτ' ἂν εἶην.

Neque tamen mihi hac similitudine damnari viderentur isti versus, nisi nostro loco rerum seriem et ordinem turbarent. Narrationem apte concludit famula v. 196:

τοιαῦτ' ἐν οἴκοις ἐστὶν Ἀδμήτου κακά.

Hunc versum excipit coryphaei interrogatio 199 :

ἢ που στενάζει τοισὶδ' Ἀδμήτος κακοῖς;

Ne te fugerit chorentas Admeti familiares esse amicos, ei potissimum devinctos, cum famula de regiae domus miseriis loquatur et praecipue dominae suae. Consentaneum igitur est post universam rerum narrationem coryphaeum demum de Admeto separatim quaerere ac de maerore eius. Et quod exspectamus efficiunt v. 199 particulae ἢ που.

Sed etiam 196 corruptus est. Valde inelegans est Admeti nomen ante Ἀδμήτος v. 199: neque tamen addi poterant 197. 198 nisi praeunte eo nomine. Conicio Euripidem 196 ita scripsisse:

τοιαῦτ' ἐν οἴκοις ἐστὶ δεσποτῶν κακά.

V. 199 satis excusatur pronomine *τοισίδε* repetitum vocabulum *κακοῖς*.

V. 204 *παρειμένη δὲ χειρὸς ἄθλιον βάρος*
 spurium esse multo veri similis est quam sequentem ver-
 sum excidisse sicut coniecit Elmsleius. Nihil enim in hoc
 versu inest quod non 201. 203 declaratum fuerit.

De v. 238—243:

*οὔποτε φήσω γάμον εὐφραίνειν
 πλέον ἢ λυπεῖν, τοῖς τε πάροιθεν
 τεκμαιρόμενος καὶ τάσδε τύχας
 λεύσων βασιλέως, ὅστις ἀρίστης
 ἀπλακῶν ἀλόχου τῆσδ' ἀβίωτον
 τὸν ἔπειτα χρόνον βιοτεύσει.*

Hos versus si impugnabo satis scio fore ut plerique tironis temeritatem fastidiant: sed certum mihi proposui laborem nec turpi silentio cavebo ne in vituperationem cadam. Argumenta si refutaveris quae me coegerunt ut hos versus suspectissimos haberem, gratias tibi habebō: prius, quaeso, audi. Per valvas regiae domus medias incedunt in scaenam Admetus et Alcestis, quorum introitum spectatoribus nuntiant chorentae 233 *ἰδοὺ ἰδοὺ, ἦδ' ἐκ δόμων δὴ καὶ πόσις πορεύεται*. Dum versus melicos extremos usque ad 237 chorus canit, in proscaenium procedunt regiae personae, atque finito hoc cantu consentaneum est insequentibus sermones statim exordium capere neque iam differri. Atque pulcherrime hunc cantum Alcestidis verba 244 sqq. excipiunt: versus isti anapaestici neque ullo cum altero utro loco continentur vinculo et res continentibus divellunt. Quod si hanc sententiam choro tribuere voluisset poeta, alium oportebat eligi locum. Nam misericordiam suam iam antea plenissime expressit chorus, cui rei v. 232 finem imposuit. Neque facile animum induxerim ut credam Euripidem finxisse coryphaeum ea verba coram Alceste nondum mortua recitantem. Denique displicet istorum versuum metrum. Neque enim sententiis et cogitatis apti sunt versus anapaestici. Transtulit fortasse inter-

polator 238—243 ex alia fabula in nostrum locum: nam verba *τοῖς τε πάροιθεν τεκμαιρόμενος*, quae hic sunt valde otiosa, ne dicam absurda, in fine alius dialogi anapaestici legi potuisse non negaverim.

Versus 322:

ἀλλ' ἀντίκ' ἐν τοῖς οὐκέτ' οὔσι λέξομαι

videntur mihi secundi ordinis codices veram servasse lectionem ab editoribus spretam. Nam satis facile conicere possumus grammaticum aliquem *μή* participii propriam negandi particulam habuisse ideoque mutasse *οὐκέτι* in *μηκέτι*: minus facile credamus *μηκέτι* in *οὐκέτι* mutatum fuisse. Accedit quod codex Parisinus, si editoribus fides, scholion in margine servat cuius hoc est lemma: *ἐν τοῖς οὐκέτ' οὔσι λέξομαι*. Versum praecedentem 321:

οὐδ' ἐς τρίτην μοι μηνός ἔρχεται κακόν

nec sanum nec sanatum esse puto neque me pudet quod tot docti viri frustra conati sunt perficere non posse. Vera lectio potest esse *μέλλον* pro *μηνός*, neque haec absurda. Orta est mihi suspicio, quam silere neque volo neque fas est, hos duos versus spurios esse. Nam in codice Laurentiano scribendo omisit eos librarius, postea demum idem in ima pagina addidit. Si conferas quae de illo codice W. A. E. 5 exposuit, nescio an probabilem habiturus sis meam coniecturam, eos versus etiam in Laurentiani archetypo in margine exstitisse. Quod si ita se habere existimandum est, aut sequitur aut saltem verisimile est hos versus iam antiquis temporibus suspectos fuisse aut fortasse exstitisse bona exemplaria quibus deessent, sicuti nonnullis exemplaribus deerant nostrae fabulae 818—20. Intolerabiles esse 321. 322 vix iudicaveris, supervacaneos esse iniuria negaveris. Facile eos interpolatori sententiarum explendarum studioso adscribamus: mihi satis sit quaestionem acutioribus criticis proposuisse.

V. 344:

στεφάνους τε μοῦσάν θ' ἢ κατεῖχ' ἔμοῦς δόμους
 mihi valde suspectus est. Otiosissimum esse atque super-
 vacaneum nemo certe negaturus est. Ab elegantia Euripidea
 procul abhorret ista enumeratio nominum synonymorum
 per τε coniunctorum, quae quia versum non explevit adiecta
 est satis inepta clausula ἢ κατεῖχ' ἔμοῦς δόμους. Sibi
 visus est interpolator poetae supplere orationis ubertatem.

Expellendi sunt v. 380. 381:

ΑΑ. οἴμοι, τί δράσω. δῆτα σοῦ μονούμενος;

ΑΑ. χρόνος μαλάξει σ'· οὐδέν ἐσθ' ὁ κατθανών.

Necesse est versus 382:

ἄγου με σὺν σοὶ πρὸς θεῶν ἄγου κάτω

nulla re aliena interposita sequatur versum 379:

ὦ τέκν', ὅτε ζῆν χρῆν μ', ἀπέρχομαι κάτω.

Deinde Alcestidis personae non est apta versus 381
 sententia, quae summis precibus maritum oravit ut memoriam
 suam coleret. Herculis autem personae conveniunt verba
χρόνος μαλάξει, qui 1085 eis usus est. Clausulam *οὐδέν
 ἐσθ' ὁ κατθανών*, qua versum explevit interpolator, aut
 idem aut alius adhibuit in versu 527 fabricando. Sed ad-
 ditamenti res summa videtur in v. 380 sita esse. Declarat
 Admetus 382 se ab Alcestide non separari velle: hanc sen-
 tentiam paullo planiorem facere studet interpolator.

Dixi supra poetam in hac fabula nonnulla ita dispo-
 sisse ut inter se pugnarent. Unum locum in quo talia
 insunt, versus dico 509—545, mihi tractandum proposui
 et pro mea parte interpretandum. Hoc ut conarer duabus
 maxime causis inductus sum: primum quod amicus v. 521:

ἔστιν τε κούκέρ' ἔστιν, ἀλγύνει δέ με

spurium esse suspicatus est, quam suspicionem nou iustam habeo: deinde quod solitum crimen quo Euripidem incul- pant hoc loco mihi minus quam plerisque probatur. Hoc crimen quale sit verbis Bakhnyzeni (de parodia in com. Aristoph. 10) indicabo: "reprehensione vero dignus est scriptor qui sine idonea causa, tantum ut verbis ludat, rei gravitati incongrua proferat, ut v. c. Euripides in Alcest. vs. 521 sqq., ubi Admetus, oppressus scilicet et confectus dolore, subtiliter disserit de uxore mox moritura et Herculi exponit quomodo ἔστιν τε κούχεται ἔστιν. Sunt haec παραπρίσματα ἐπῶν quae Ran. 1443 carpsit comicus, qualia Agatho quoque adamavit, cuius πάρεργον ἔργον notum est." Sed haec hoc loco sine idonea causa, tantum ut verbis luderet mihi minime videtur scripsisse Euripides. Altius petenda est causa cur nobis non omnibus numeris placeat poeta magnus in primis. In hac fabula paene praestantissima paulo clarius tamen elucet quo modo dubitationibus et incerti evēntus periculis laboraverit tam ars quam vita Euripidis. Nullus illi Dionysus in somnis visus erat qui munus imponeret, vitae viam mōstraret: varia erant tenta-nda priusquam ille disceret se et veritati et pulchritudini et suae gloriae maxime servire per tragicam poesim et posse et debere. Verum et pulchrum semper quaesivit et semper exprimere studuit, non semper exprimendi modos et rationes plene sensit atque perspexit. In Alcestide culpandus est fortasse Euripides, certe non laudandus, quod una fabula duas res incongruas coniungere conatus est, quod pietatem uxoris incomparabilem subiunxit Herculis magnanimitati atque ingenuae hilaritati. Hoc poetae amicis, ut mihi quidem videtur, est concedendum, Euripidem si perspicientia absolutiore praeditus fuisset, visurum fuisse neutrius rei hoc modo plenum fieri posse effectum: aut uberiore inventionē Alcestidis fabulam ita expositurum fuisse ut risui potuique nullus esset locus, aut totam rem, tamquam vel tragicae vel satyricae poesi minus aptam relicturum. Sed has

res in congruas coniunxit. Deinceps autem summo iure quaeritur num alium meliorem coniungendi modum excogitare potuerit. Godofr. Hermannus, qui non omnibus partibus laudandam esse fabulam censuit, hoc saltem in dissertatione illa de Euripidis Alcestide negavit. Atque iudicium quod de re summa Hermannus pronuntiavit etiam stabilitur si minutiora spectamus.

Difficultatis de qua loquimur cardo in nostro loco positus est. Quem locum si percensemus, necesse est in v. 521:

ἔστιν τε κούκέρ' ἔστιν, ἀλγύνει δέ με

quem versum vituperavit Bakhuyzenius, paullulum haereamus. Huius versus non potest esse vera ea explicatio quam dat Admetus in sequentibus: falsum est quod dicit ille. Etiam si nos v. 533:

ὀθνεῖος, ἄλλως δ' ἦν ἀναγκαία δόμοις

ita intellegere possemus ut intellexit Hercules, atque credere Admetum tali de causa iam in luctu esse, quod ut credamus nullis in fabula indicii inducimur, nihilo tamen plus constaret illius versus veritas. Mortua est Alcestis, non iam moritura. Documenta si quaeris, in his versibus inuenies: 391. 392. 393—399. 404 sq. 422—427. 551 sq. 561. 598—600. 822, qui omnes absurdissimi essent nisi iam ante Herculis adventum mortua esset Alcestis. Res est admodum plana sane, sed spero tamen mihi veniam datum iri argumenta proferenti, siquidem Bakhuyzenius his verbis uti potuit: *Admetus . . . disserit de uxore mox moritura*: nam nisi omnibus dubitationibus plane remotis parvi erit pretii nostra disputatio. Falsus igitur est ille versus 521:

ἔστιν τε κούκέρ' ἔστιν, ἀλγύνει δέ με

et totus falsus. Nam vix acceperis, puto, Baueri Monacensis explicationem, cuius verba haec sunt: *soferne sie noch nicht bestattet ist*. His equidem ego praeferam ipsius Admeti explicationem atque dicam, eum plane mentitum esse. At v. 531 sqq.:

ΑΔ. γυνή. γυναικὸς ἀρτίως μεμνήμεθα.

ΗΡ. ὀθνεῖος ἢ σοὶ συγγενῆς γεγῶσά τις;

ΑΔ. ὀθνεῖος, ἄλλως δ' ἦν ἀναγκαία δόμοις.

ΗΡ. πῶς οὖν ἐν οἴκοις σοῖσιν ὤλεσεν βίον;

ΑΔ. πατρὸς θανόντος ἐνθάδ' ὠρφανεύετο. 585

satis habet veritatem detorquere. Nam hic observare licet Admeti uxorem non fuisse eius consanguineam. Legitime igitur quaeri potest annon Euripidi sit 521 abiudicandus una cum praecedenti aut sequenti versu. Ego tamen nego id licere. Atque primum videtur mihi hunc versum respexisse Aristophanes Ach. 396:

οὐκ ἔνδον ἔνδον ἐστίν, εἰ γνώμην ἔχεις.

Tradito nostro loco tamquam Euripideo, facillime conicimus Aristophanem voluisse eum potissimum illa parodia deridere¹⁶. Concedo tamen hoc argumentum non esse premendum, Aristophanem eandem parodiam comminisci potuisse, etiam si noster locus non esset Euripideus. Deinde, ut sit eiciendus v. 521, non minus falsus est 519

διπλοῦς ἐπ' αὐτῇ μῦθος ἔστι μοι λέγειν:

qui versus nulla ratione explicari potest nisi ea qua usus est Admetus, neque tamen ita planus est ut in diverbio carere explicatione possit. Atque si omnia amoveamus quibus insunt falsa, oriatur novus scrupulus isque non levis. Experiendi causa tollamus v. 519 — 522 atque sic legamus:

ΗΡ. οὐ μὴν γυνή γ' ὄλωλεν Ἀλκηστis σέθεν; 518

ΑΔ. οὐκ οἶσθα μοίρας ἧς τυχεῖν αὐτὴν χρεῶν; 523

ΗΡ. οἶδ' ἀντὶ σοῦ γε κατθανεῖν ὑφειμένην.

ΑΔ. πῶς οὖν ἔτ' ἔστιν, εἴπερ ἦνεσεν τάδε;

Lectorem rogo num his contentus esse potuerit Hercules. Nonne paene necessario credidisset Alcestim iam mortuam

¹⁶ Simili ratione mihi commendatur Meineki coniectura, qui Ar. Ach. 396 proponit scribendum:

ἐνδον τε κοῦκ ἐστ' ἐνδον, εἰ γνώμην ἔχεις.

esse? In tragoedia mentiuntur heroes ubi satis est causae, neque cuiquam non statim venient in mentem exempla. Atque hoc loco necesse erat poetam Admetum mentientem fingere: nullo alio modo potuisset Herculi partes in fabula dare, certe quidem non eas partes quas dare voluit. Sed quaeri debet cur Admetus cui quidem mentiri certum fuerit, non simpliciter negaverit Alcestim esse mortuam, cur rem tot ambagibus involverit. Suam haec quoque res rationem habet. Nostro loco necesse erat Herculem de Alceptide quaerere: vicariae mortis consilii quod ceperat illa mentionem aut hic facere poetam necesse erat aut ad Herculis et servi diverbium 803 sqq. differre, et mihi quidem sollerter ille videtur egisse, qui hanc rem cum Admeti falsa negatione coniunxerit. Atque id quod non efficere potuisset si Admetus nostro loco ad Herculis interrogationem per NON respondisset, facillime effecit Admeto per NONDVM respondente. Alia est quaestio cur poetae tanti fuerit Admeti verbis v. 533:

ὄθνεϊος, ἄλλως δ' ἦν ἀναγκαία δόμοις

et 535

πατρὸς θανάτου ἐνθάδ' ὠρρανεύετο

veritatis speciem dare. Dico poetam secundum naturam egisse. Nemo sanus sine causa mentitur, et qui in re fallere vult, vitat tamen in verbis apertum mendacium. Maxime sunt haec Admeti levitati apta. Bene igitur dixit Hermannus Euripidem hoc loco esse laudandum. At tamen diverbium additamentis liberum non est. Spurii sunt 526. 527:

HP. ἂ, μὴ πρόκλαι' ἄκοιτιν, εἰς τόδ' ἀναβαλοῦ.

ΑΔ. τέθνηχ' ὁ μέλλων, κούκέτ' ἔσθ' ὁ κατθανών.

Id saltem concedes: diverbium his versibus maculari. Nam male continuatur 528 cum 527. Atque ineptus est 527: sono non capti reddere istum versum conemur: *mortuus est qui moriturus est, atque qui mortuus est non iam vivit.*

Solent sane argutiae Euripideae paullo acutiores esse. Forsitan desideres sensum v. 526 :

ἄ, μὴ πρόκλαι' ἀκούτιν, εἰς τόδ' ἀναβαλοῦ.

Sed idem sensus satis lucide expressus est v. 528

χωρὶς τό τ' εἶναι καὶ τὸ μὴ νομίζεται.

Atque mendosus est 526. Non illud ἀναβαλοῦ dico, nam facilis est Naucki correctio qui E. S. II. 64 iubet scribere ἀμβалоῦ. Sed offendit ἄ interiectio. Placide enim et benigne loquitur Hercules. Atqui hanc voculam ita usurparunt tragici poetae ut exprimerent sensum animi gravissime commoti, aut vehementer admirantis indignantisve, aut metu vel horrore attoniti. Loci Euripidei, uno propter suspicionem quam in altera appendicula explanabo excepto, hi sunt: Alc. 28. And. 1076. Bacch. 586. 596. Hec. 1069. Hel. 445 (locus tamen suspectus). Hercul. 1052. Cycl. 565. Med. 1055. Or. 145. 274. 1598¹⁷. Deinde de illo εἰς τόδε, vel si Wakefieldium sequimur, εἰς τότε, dubito. Vix satis mihi videtur exemplis defendi utraque lectio talibus qualia sunt Herod. VII. 29 ἐγὼ ἐπεὶ τε ἐξῆλθον τὴν Περσίδα χώραν, οὐδενὶ ἀνδρὶ συνέμιξα ἐς τόδε, ὅστις ἠθέλησε ξείνια προθεῖναι στρατῷ τῷ ἐμῷ aut Soph. Ai. 1185 in melicis τίς ἄρα νέατος εἰς πότε λήξει πολυπλάγκτων ἐτέων ἀριθμός;

De 718—721:

ΦΕ. οὔτοι πρὸς ἡμῶν γ' ὄλετ' οὐκ ἐρεῖς τόδε.

ΑΔ. φεῦ.

εἶθ' ἀνδρὸς ἔλθους τοῦδέ γ' ἐς χρεῖαν ποτέ.

ΦΕ. μνήστευε πολλάς, ὡς θάνωσι πλειόνες. 720

ΑΔ. σοὶ τοῦτ' ὄνειδος· οὐ γὰρ ἠθέλες θανεῖν.

Expellendos esse puto 719. 720. Disiungi non potest 721 a 718, nisi forte iudicas legitime omni nexu privari illud

¹⁷ Sciens omisi Cycl. 157, ubi Silenus, quippe qui pro summo biberit, penitus respirat, quem anhelitum expressit poeta vocula ἄ ter repetita.

ὄνειδος 721. Sententiam v. 720, quae hoc loco rerum ordinem turbat, suo loco Phereti poeta tribuit 699—701:

σοφῶς δ' ἐφηῦρες ὥστε μὴ θανεῖν ποτε,
εἰ τὴν παροῦσαν κατθανεῖν πείσεις ἀεὶ
γυναικ' ὑπὲρ σοῦ.

Dicti sale et acerbitate delectabatur interpolator, atque sententiam dilatare studuit.

De v. 817—820:

ΘΕ. οὐκ ἤλθεσ ἐν δέοντι δέξασθαι δόμοις,
πένης γὰρ ἡμῖν ἐστι· καὶ κουρὰν βλέπεις
μελαμπέπλους στολμούς τε. ΗΡ. τίς δ' ὁ κατθανών;
μῶν ἢ τέκνων τι φροῦδον ἢ γέρον πατήρ; 820

Scire si vis quid docti viri de his versibus senserint, velim ea conferas quae P. indicavit in editione sua. Cum Nauckio E. S. II. 76 sq. consentio emendanda esse scholiastae verba ad 820, ita ut pro *τρία* legamus *τέσσαρα*. Idem cum Hannemuellero consentio delendos versus eos esse quos exscripsi. Versus enim 820 non mihi tolerabilis esse videtur. Confectus est ex eis quae 514. 516 propriam habent locum. Sed inepta est haec interrogatio nostro loco: Hærculis verba *γυνή θυραῖος ἢ θανοῦσα* demonstrant eum probe scire feminam esse quae mortua est. Neque mihi probatur Hannemuelleri coniectura, qui mutari iubet tradita verba v. 816:

ἀλλ' ἢ πένονθα δεῖν' ὑπὸ ξένων ἐμῶν;

Hærculis personae bene convenire videbis si versum mox sequentem 829 reputaveris:

βία δὲ θυμοῦ τάσδ' ὑπερβαλὼν πύλας.

Quominus cum K. Prinziouque faciam hoc loco lacunam esse conicientibus duae potissimum obstant rationes. Verborum traditorum plenus est sensus, atque vix facile

explicatu esse puto quando quoque modo versus amissi exciderint. Nam scholion illud ad 820 ad tempus esse referendum existimo quo grammatici antiqui exemplaria contulerunt ut vera poetae verba constituerent. Quod si verum est, illis grammaticis antiquiores sunt isti versus. In melicis facilius crediderim lacunas statuendas esse, nam inde ab initio quarti ante Christum saeculi scimus melica ab histrionibus magis magisque neglecta esse: trimetros eosdem utriusque codicum classi deesse atque defuisse qui statuit, validis argumentis, ut mihi videtur, coniecturam comprobare debeat.

De v. 1060—1063:

καὶ τῆς θανούσης, ἀξία δέ μοι σέβειν, 1060
πολλὴν πρόνοιαν δεῖ μ' ἔχειν σὺ δ', ὦ γύναι,
ἥτις ποτ' εἶ σύ, ταῦτ' ἔχουσ' Ἀλκίσιδι
μορφής μέτρ' ἴσθι, καὶ προσήξει δέμας.

Spurios esse puto v. 1061—1063. In aperto est interpolatoris consilium: aliquid quaesivit homo ineptus ex quo penderet genitivus θανούσης. At sententia iam plena enuntiati finis est 1060. Porro v. 1064. 1065:

ὄϊμοι κόμῃζε πρὸς θεῶν ἐξ ὀμμάτων
γυναῖκα τήνδε

subito exclamat Admetus: exclamationis causa explicatur v. 1066. 1067:

δοκῶ γὰρ αὐτὴν εἰσορῶν γυναῖχ' ὄρᾶν
ἐμήν.

Eandem explicationem etiam ante exclamationem ipsi Admeto tributam non tolerabimus. Forsitan pusilla esse argumenta iudices, si dicam non esse consentaneum Admetum feminam ita in media ad Herculem oratione adloqui, neque eum ad servam tali adlocutione usurum fuisse: ita tamen sentio. De legibus Graecae linguae istis versibus

laesis satis dixit N. E. S. II. 85. Videntur mihi ficti esse ab interpolatore qui sermonem poeticum imitari parum scite studebat.

De v. 1101—1109:

HP. πιθοῦ· τάχ' ἂν γὰρ ἐς δέον πέσοι χάρις.

AD. φεῦ.

εἴθ' ἐξ ἀγῶνος τήνδε μὴ ἴλαβές ποτε.

HP. νικῶντι μέντοι καὶ σὺ συννικᾶς ἔμοι.

AD. καλῶς ἔλεξας· ἡ γυνὴ δ' ἀπελθέτω.

HP. ἀπεισιν, εἰ χρεὴ· πρῶτα δ' εἰ χρεῶν ἄθρει. 1105

AD. χρεὴ, σοῦ γε μὴ μέλλοντος ὀργαίνειν ἔμοι.

HP. εἰδώς τι καγὼ τήνδ' ἔχω προθυμίαν.

AD. νίκα νυν. οὐ μὴν ἀνδάνοντά μοι ποιεῖς.

HP. ἀλλ' ἔσθ' ὄθ' ἡμᾶς αἰνέσεις· πιθοῦ μόνον.

Eiciendi sunt versus quattuor 1104—1107. Primum 1105 examinemus. Quod exscripsi ἄθρει praebent prioris ordinis codices, secundi ordinis ὄρα. Quae de utriusque ordinis auctoritate sentiam non celavi, nec tibi mirum erit quod conicio ὄρα vetustiore esse scripturam, antiquum autem grammaticum synonyma vocabula acute distinguendi studiosum mutasse eam scripturam in ἄθρει. Quod si verum est, indicium est versum non esse Euripideum. Neque tamen hanc nudam opinionem meam tamquam argumentum profero. Sive ἄθρει sive ὄρα scribimus, ineptus est 1105 atque ab hoc contextu alienus. Versu demum 1121 detrahit Alcestidi velum Hercules et Admeto faciem eius aperit, rogatque ut spectet. Nostro loco non secus agunt et locuntur et Hercules et Admetus ac si nihil ille tale rogavisset. Nec minor in priori versus parte est offensio. Herculi morem gerere omnino non vult Admetus: a parte quadam precum eademque maxima recedit ille: statim versibus sequentibus omnia largitur Admetus. An haec probabilia? Deinde quaerendum est quae sit vocis χρεῶν significatio.

Ac puto nisi omni sensu aut saltem omni nexu privare licet sequentem versum, concedes *χρεών* ita intellegendum esse ut sit: *si eam abire necesse est*. Id et absurdum esse et difficillimum, vix est cur moneam. Cum v. 1105 cohaeret 1106, is quoque arte Euripidea carens. V. 1104 verba *καλῶς ἔλεξας* testari videntur interpolatorem probasse praecedentis versus paronomasiam: aliam in eis significationem profiteor me invenire non posse. Et qui 1104 conscripsit oblitus est Admetum credere feminam istam servam esse. Non ita Euripides, cuius sunt 1043—1045. De versu 1107, quem summo iure iam proscripsit N. E. S. II. 83 non est cur verba faciam. Sed quod etiam 1108 in suspicionem vocat N., ei adstipulari non possum. Prorsus ab eo dissentio censente hunc versum codicum auctoritate carere. Neque non congruit is versus cum eis quae secuntur: nam v. 1108. 1110 omnia concedit Admetus quae adhuc rogavit Hercules. Conferas, velim, 1097. V. 1113. 1115 novae sunt preces. Restat ut moneam v. 1108 verba *νίκα νυν* aperte ad 1103 respicere, ideoque 1108 a 1103 non bene divelli. V. 1109 eo rectius dictum est *πιθοῦ μόνον* quo propius abest ab illo *πιθοῦ* v. 1101.

De v. 1125:

ἢ κέρτομός με θεοῦ τις ἐκπλήσσει χαρά;

Nisi etiam in hac parte grassata est manus interpolatrix, corruptum esse hunc versum cum Nauckio E. S. II. 84 consentio. Propono scribendum:

ἢ κερτόμω με θεῶν τις ἐκπλήσσει χαρᾶ;

Minus violenta est mutatio quam a prima fronte videtur esse.

Hactenus de Alcestidis versibus spuris de quibus nova proferenda esse videbantur. Sed perfectius videtur mihi futurum esse opus meum, si locos indicaverim quos iam alii me indice recte damnarunt. Sunt igitur in eo numero

omnes quos Prinzius aut in marginem relegavit aut unciis inclusit et praeterea 308—310 ab Hirzelio (de Eur. in comp. div. arte, 88) damnati, 332. 333 a Nauckio, 645—647 a Badhamo, 943 a Nauckio. De 669—672, quos deleri vult Hartungius, est fortasse cur dubites.

II.

DE HIPPOLYTI INTERPOLATIONIBVS.

De prologo disputaturum paullisper lectio moratur vel emendanda vel stabilienda. In v. 1 sqq.:

*Πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι κοῦκ ἀνώνημος
θεὰ κέκλημαι Κύπρις οὐρανοῦ τ' ἔσω,
ἔσοι τε πόντου τερμόνων τ' Ἀτλαντικῶν
ναίουσιν εἴσω κτλ.*

displicet τε v. 3. Si nulla deorum mentio intercederet, bene possent coniungi per τε verba κέκλημαι et σφάλλω, sed sicuti res se habet eam explicationem difficillimam esse non negabis. At nullo modo statuere possumus v. 3 tertium quiddam ad mortales et ad deorum genus accedere. Propono scribendum δέ pro τέ, atque post ἔσω in fine v. 2 puncto interpungendum.

V. 19. Certa videtur mihi Porsoni emendatio esse ὀμιλίαν pro ὀμιλίας scribentis. Legendum est:

μεῖζω βροτείας προσπεσῶν ὀμιλίαν.

In v. 22. 23:

*Ἰππόλυτον ἐν τῇδ' ἡμέρᾳ τὰ πολλὰ δὲ
πάλα προκόψασ', οὐ πόνου πολλοῦ με δεῖ*

claudicat oratio. Sed bene progreditur si pro δέ 22 scribimus δή, atque ita interpungimus:

Ἰππόλυτον ἐν τῆδ' ἡμέρα, τὰ πολλὰ δὴ
πάλαι προκόψασ'· οὐ πόνου πολλοῦ με δεῖ.

Porro ferri nequeunt extremi v. 23 vocabula με δεῖ. Eisdem verbis finitur 20, eaque repetitio inelegans est nisi apparet causa repetitionis. Deinde videtur semper verborum formula ἐμὲ δεῖ idem valere quod verbum Latinum *careo* vel *egeo*: inest quidem is sensus in omnibus exemplis quotquotum in adnotatione huius loci collegit Valckenaerius, tum Porsonus ad Or. 659 (667) protulit, neque aliā ego inveni. Sed nostro loco hunc potius sensum desideramus: *paene finitus est labor*. Propono igitur scribendum γε pro με, ita: οὐ πόνου πολλοῦ γε δεῖ. Denique friget v. 23 πολλοῦ post πολλὰ v. 22, atque suspicor id πολλὰ causam fuisse corruptelae in 23. Nescio an scribendum sit μακροῦ, quod vocabulum bene explicet illud ἐν τῆδ' ἡμέρα. Integrum igitur locum 21—23 sic scribendum propono:

ἃ δ' εἰς ἔμ' ἡμάρτηκε, τιμωρήσομαι
Ἰππόλυτον ἐν τῆδ' ἡμέρα, τὰ πολλὰ δὴ
πάλαι προκόψασ'· οὐ πόνου μακροῦ γε δεῖ.

In v. 27: ἰδοῦσα Φαίδρα καρδίαν κατέσχετο dubito an non caute egerint editores qui κατείχετο scripserunt. Huius mutationis auctor est Monkus, qui quidem ipse rem levi brachio tetigit: neque Elmsleius qui Monki mutationem probavit (ad Heracl. 634) totam rem tractavit. Aoristum ἐσχόμην passiva significatione usurparunt Graeci scriptores inde ab Homero usque ad Dionem Cassium. De Atticis tunc demum dubitare licebit, si apparebit has formas rarissime traditas esse atque talibus tantum locis traditas ubi aptiorem sensum daturum sit tempus imperfectum. Traditae autem sunt eae formae his Attico-

rum scriptorum locis, quos collegit Veitchius ¹⁸: Eur. Hip. 27. Heracl. 634. Plat. Soph. 250 D. Lach. 183 E. Phaedr. 244 E ¹⁹. His omnibus locis certe non minus aptum est tempus aoristum quam imperfectum: locis Euripideis, ut de Platoniceis taceam, praestat aoristum ²⁰.

De reliqua prologi parte perdifficilis est quaestio: spero tamen te iudicaturum esse in eis quae profero, multo ea labore curisque non semel iteratis ponderata, fructum aliquantulum inesse. Primum igitur gravis in eo inest offensio quod Venus his versibus tamquam in limine fabulae tam plene praedicit res in fabula agendas, ut vix quicquam novi spectatoribus vel legentibus ferat actio insequens. Dixit fortasse quispiam: at poetam ipsum vituperas: peccavit Euripides. Sane, si haec omnia Euripidea esse iudicare possemus, eius ars esset culpanda: cum autem plus uno indicio constet grassatum esse in his versibus interpolatorem, etiam hoc crimen dissipatum iri spero, si recte spurias partes definierimus.

De v. 29—33.

καὶ πρὶν μὲν ἐλθεῖν τήνδε γῆν Τροϊζηνίαν,
 πέτραν παρ' αὐτὴν Παλλάδος κατόψιον 30
 γῆς τῆσδε ναὸν Κύπριδος ἐγκαθείσατο,
 ἐρῶσ' ἔρωτ' ἔκδημον· Ἰηπολύτῳ δ' ἐπι
 τὸ λοιπὸν ὠνόμαζεν ἰδρῶσθαι θεάν.

Iussit 32. 33 deleri Blomfieldius, probantibus Monkio et D., ut mihi videtur, rectissime. Pro ἔκδημον praebent prioris ordinis codices ἐκδηλον, quod tolerari posse nego:

18 *Greek Verbs Irregular and Defective*, Ed. II, p. 257.

19 Etiam Plat. Theaet. 165, B. attulit Veitchius, non bene.

20 Sero didici Herwerdenum (*Revue de philologie* 1878, II p. 19) eandem fecisse observationem. Sed cum sententiam ille modo prorsus alio declaraverit, quae scripseram non mutavi.

id vocabulum nihil designare potest nisi quod apertum et conspicuum est. At eo tempore nondum prodiderat Phaedra amorem suum. Quamvis langueat sententia, sensum tamen praebet ἔκδημον. Hoc autem vocabulum vel ideo suspectum est quod 37 repetitum est iterumque languet. Deinde ὠνόμαζεν, quod equidem ego puto interpolatorem usurpavisse hoc sensu: *effecit ut nomen in posterum esset*, videtur mihi sollertia Euripidea indignum esse, praestare tamen prae virorum doctorum emendationibus, Valckenaeri ὑμνήσουσιν, Musgravi ὀνομάσουσιν, Meineki ὠνόμαζον. Porro male explicatur templi nomen Ἰππολύτειον per verba Ἰππολύτῳ δ' ἔπι — ἰδρῶσθαι θεάν, ideo peius quod θεά ipsa Venus est quae loquitur. Sed etiam his versibus aperte spurii eiectis, parum profecimus, atque nescio an hac causa inducti fuerint plerique editores ut eos pro genuinis haberent. Mihi videntur postulare ars et ratio ut eos huic fabulae abindicemus atque tum demum quaeramus quid inde consequatur. Consequitur abiudicandos esse etiam praecedentes 30. 31, qui etiam aliis de causis suspicione non liberi sunt. Nam sine sequentibus sensum non plenum praebent 30. 31. Verbum ἐγκαθείσατο correxit N. qui scripsit καθίσαστο. Sed gravissime offendit illud Κύπριδος. An consentaneum est deam ita de se ipsam tamquam de alio loqui? Putasne Euripidem id finxisse? Cohaerent igitur hi quattuor versus 30—33 atque omnes eidem sunt interpolatori adscribendi. Sed quidnam iudicaturi sumus de v. 29? Mihi videtur is versus interpolationis initium esse. Si aliter iudicas, necesse est statuas eum qui prologum retractavit versus nonnullos genuinos detrusisse ut suos 30—33 intrudere posset. Sed magis, ut videtur, studebant plerumque interpolatores explere quam recidere fabulas. Atque si res ipsas spectas, non bene convenit v. 29 cum 25—27 et 34 sqq. qui rerum progressum satis indicant. Sed in versus 29 forma nihil est offensionis. Suspicio interpolatorem hunc versum ab Hippolyto Velato mutuatum

esse integrum, sequentes 30—33 fortasse decurtatos. Quam suspicionem maxime confirmat locus Diodori Sic. IV. 62, quem ad hos versus illustrandos attulit Monkius. Velim totum perlegas: *μετὰ δὲ τὸν γάμον Ἰππόλυτον μὲν τὸν ἐκ τῆς Ἀμαζονίδος γενόμενον υἱὸν ἔπεμψεν εἰς Τροίξῃνα τρέφασθαι παρὰ τοῖς Αἰθράς ἀδελφοῖς, ἐκ δὲ Φαίδρας Ἀκάμαντα καὶ Δημοφῶντα ἐγέννησε. μικρὸν δὲ ὕστερον Ἰππόλυτου ἐπανελθόντος εἰς τὰς Ἀθήνας πρὸς τὰ μυστήρια, Φαίδρα διὰ τὸ κάλλος ἐρασθεῖσα αὐτοῦ τότε μὲν ἀπελθόντος εἰς Τροίξῃνα ἰδρύσατο ἱερὸν Ἀφροδίτης παρὰ τὴν ἀκρόπολιν, ὃθεν ἦν καθορᾶν τὴν Τροίξῃνα, ὕστερον δὲ παρὰ τῷ Πιτθεῖ μετὰ τοῦ Θησέως καταλύσασα ἤξιον τὸν Ἰππόλυτον μιγῆναι αὐτῇ· ἀντειπόντος δ' ἐκεῖνον φασὶ τὴν Φαίδραν ἀγανακτῆσαι, καὶ ἐπανελθοῦσαν εἰς τὰς Ἀθήνας εἰπεῖν τῷ Θησεῖ διότι ἐπεβάλετο Ἰππόλυτος αὐτῇ μιγῆναι. Θησέως δὲ διστάζοντος περὶ τῆς διαβολῆς καὶ τὸν Ἰππόλυτον μεταπεμπόμενον πρὸς τὸν ἔλεγχον, Φαίδρα μὲν φοβηθεῖσα τὸν ἐξετασμὸν ἀνεκρέμασεν ἐαντήν, Ἰππόλυτος δὲ ἀρματηλατῶν, ὡς ἤκουσε τὰ περὶ τῆς διαβολῆς, συνεχύθη τὴν ψυχὴν, καὶ διὰ τοῦτο τῶν ἵππων ταραχθέντων καὶ ἐπισπασαμένων αὐτὸν ταῖς ἡνίκαις, συνέβη τὸν μὲν δίφρον συντριβῆναι, τὸ δὲ μειράκιον ἐμπλακὲν τοῖς ἰμᾶσιν ἐλκυσθῆναι καὶ τελευτῆσαι. Haec contulit Monkius cum fragmento Asclepiadis τραγωδουμένων, schol. Hom. Od. λ. 321: Φαίδρα — τὸ μὲν πρῶτον ἱερὸν Ἀφροδίτης ἐν Ἀθήναις ἰδρύσατο, τὸ νῦν Ἰππολύτειον καλούμενον: atque admodum facile coniciamus Diodori narrationem ad tragicorum fabulas conformatam esse. Sed minime quadrat in nostram fabulam Diodori narratio, aliqua ex parte certe in ea quae de Velato scimus. Atque ut coniciam interpolatorem v. 29—33 a Velato Hippolyto mutuatum esse potius quam a Sophoclis Phaedra faciunt nonnulli loci nostrae fabulae falso inserti profecto Euripidei, de quibus mox disputaturus sum. Pergamus ad v. 34—40:*

ἐπεὶ δὲ Θησεὺς Κεκροπίαν λείπει χθόνα
 μίασμα φεύγων αἵματος Παλλαντιδῶν 35
 καὶ τήνδε σὺν δάμαρτι ναυστολεῖ χθόνα
 ἐνανσίαν ἔκδημον αἰνέσας φυγῆν,
 ἐνταῦθα δὴ στένουσα κάκπεπληγμένη
 κέντροις ἔρωτος ἢ τάλαιν' ἀπόλλυται
 σιγῇ· σύνοιδε δ' οὔτις οἰκετῶν νόσον. 40

Olim in 36 offendit K. : prioris ordinis codicum indicia secutus scripsit τῆδε pro τήνδε, atque coniecit χθόνα librarii errore decepti simili v. 34 fine in textum inrepsisse. Hanc medendi rationem ipse, ut videtur, abiecit. Nullus equidem dubito quin retinendum sit τήνδε: valde tamen dubito num tolerari possit χθόνα. Atque postquam ipse conieci πόλιν verum esse, didici virum quendam doctissimum olim πόλιν margini exemplaris sui adscripsisse, idemque in Weili annotationibus inveni. Cf. Suppl. 473.

V. 37 mihi damnatur vel solo vocabulo ἔκδημον. Quaeenam enim est φυγή non ἔκδημος? Atque de exilio iam 34. 35 dictum est.

Suspectissimus est v. 40. Nimirum putabat interpolator verum rerum statum per verba ἢ τάλαιν' ἀπόλλυται parum definiri: confecit igitur pleniorē definitionem ex Phaedrae verbis 393. 394 :

ἠρξάμην μὲν οὖν
 ἐκ τοῦδε, σιγᾶν τήνδε καὶ κρύπτειν νόσον.

Sed maxime, puto, istius appendiculae causa, σιγῇ dico, confectus est v. 40.

Falsissimus est 42 :

δείξω δὲ Θησεῖ πρᾶγμα κάκφανήσεται.

Rem non Theseo demonstrat Venus, neque, sicuti si genuinus esset hic versus, exspectare debebant spectatores, mortem Hippolyto imprecatur Theseus quod didicerit Phaedram amore furere.

Spurii sunt v. 43—46

καὶ τὸν μὲν ἡμῖν πολέμιον νεανίαν
 κτενεῖ πατήρ ἀραΐσιν, ἃς ὁ πόντιος
 ἄναξ Ποσειδῶν ἄπασεν Θησεῖ γέρας,
 μηδὲν μάταιον εἰς τρεῖς εὐξασθαι θεῶ.

45

Confecti sunt 43—45 ex Thesei verbis 895. 896 :

ἢ γὰρ Ποσειδῶν αὐτὸν εἰς Ἄιδου πύλας
 θανόντα πέμψει τὰς ἐμὰς ἀράς σέβων,

atque otiosissimus 46 ex Dianae verbis 1315—1317 :

ἄρ' οἶσθα πατρὸς τρεῖς ἀράς σαφεῖς ἔχων,
 ὧν τὴν μίαν παρεῖλες, ὧ κάμιστε σύ,
 εἰς παῖδα τὸν σὸν.

Atque v. 46 etiam sermo prodit scriptoris ingenium : nam parum accurate quadrant in sententiam verba εἰς τρεῖς εὐξασθαι.

Denique v. 48—50 :

Φαίδρα· τὸ γὰρ τῆσδ' οὐ προτιμήσω κακὸν
 τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν τοὺς ἐμούς ἐχθροὺς ἐμοὶ
 δίκην τοσαύτην ὡστ' ἐμοὶ καλῶς ἔχειν

itemque 56. 57 :

ὑμνοῖσιν· οὐ γὰρ οἶδ' ἀνεωγμένας πύλας
 Ἄιδου, φάος δὲ λούσθιον βλέπων τόδε.

sunt amovendi, sed non mea est haec ἀθέτησις.

De versibus 41 et 47 quid sit statuendum est cur dubites. Aut spurii sunt aut post 41 exciderunt versus nonnulli. Sed ut iudicium meum de prologo in summarium contraham, constabat olim ex his versibus : 1—28. 34—36. 38. 39. 51—55. Ita bene progrediuntur omnia : ad fabulae actionem intellegendam satis habent spectatores, aut, ut idem aliter dicam, bene et plene explicantur 22. 23 τὰ πολλὰ δὴ πάλαι προκόψασα : denique minis obscuris indicat Venus Phaedrae Hippolytique fata.

De v. 79—81:

ἴσοις διδακτὸν μηδέν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
 τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάντ' ἀεί, 80
 τούτοις δρέπεσθαι· τοῖς κακοῖσι δ' οὐ θέμις.

Etiam hi spurii sunt. Naucki de hoc loco disputatio E. S. II. 6 cum aliam tum hanc in primis praebet utilitatem quod monet ille v. 80 nobis iterum in Bacchis (316) traditum esse²¹. Sed iure damnavit K. Bacch. 316, damnandus est Hipp. 80. Neque fuerit hoc tibi in miraculo: certis argumentis demonstravit Baierus²² Bac. 215 subditivum esse, monet eundem legi Hip. 281, ubi subditivum esse spondeo atque mox demonstrabo. Admodum facilis igitur coniectura est, antiquis temporibus — noli hoc negligere — eandem manum interpolatricem et in Hippolyto et in Bacchis grassatam esse. Neque desunt alia documenta, ni fallor, etsi minus luculenta. Sed ad nostrum locum revertamus. Quae disputavit N. nolo repetere: haec addo. Abrumpi per istos versus sententiam vides: non excusatur versus 79 asyndeton: caret obiecto verbum *δρέπεσθαι*, neque habet ex quo apte pendeat. Quamvis sententia tibi bella videatur — mihi tamen displicet, nam bene observavit Macaulaius nescio quo libro bellos locos poesi male insertos indicium esse senescentis artis —, necesse est concedas scriptorem non fuisse Graeci sermonis peritum. Atque, ne etiam hoc taceam, valde miror neminem vidisse — nisi fortasse id Musgravio in animo erat scribenti v. 79 *ἴσοισι πλαστόν* — quantopere haec cum 952—954 discrepent: nihil tamen ego hoc argumento abutar, cum utrumque locum nostrae fabulae alienum esse putem.

21 Nonne mecum consentis id nobis indicio esse debere, secundam codicum classem Hippolyti loco antiquiorem servasse lectionem *ἀεί*, grammaticorum esse correcturam *ὄμῳς*, qui studebant interpolatoris verba poeta paullo digniora reddere?

22 Animadv. in poet. trag. Graecos, 78 sq.

De 271—283:

TP. οὐκ οἶδ' ἐλέγχουσ' οὐ γὰρ ἐννέπειν θέλει.

XO. οὐδ' ἦτις ἀρχὴ τῶνδε πημάτων ἔφην;

TP. εἰς ταῦτὸν ἦκεις· πάντα γὰρ σιγᾷ τάδε.

XO. ὡς ἀσθενεῖ τε καὶ κατέξονται δέμας.

TP. πῶς δ' οὐ, τριταίαν οὐδ' ἄσιτος ἡμέραν; 275

XO. πότερον ὑπ' ἄτης, ἢ θανεῖν πειρωμένη;

TP. θανεῖν· ἀσιτεῖ δ' εἰς ἀπόστασιν βίου.

XO. θανμαστὸν εἶπας, εἰ τάδ' ἐξαρκεῖ πόσει.

TP. κρύπτει γὰρ ἦδε πῆμα κοῦ φησιν νοσεῖν.

XO. ὁ δ' εἰς πρόσωπον οὐ τεκμαίρεται βλέπων; 280

TP. ἔκδημος ὢν γὰρ τῆσδε τυγχάνει χθονός.

XO. σὺ δ' οὐκ ἀνάγκην προσφέρεις πειρωμένη
νόσον πυθέσθαι τῆσδε καὶ πλάνον φρενῶν;

Prodigiosa sunt horum versuum menda. Primum velim conferas 279 cum 281. Haec responsa iterum iterumque revolve: nonne vides absurde et ridicule inter se repugnare? Sacra faciendi causa peregre profectus est Theseus, quod chorum nescire nobis non facile fingamus. Delendine sunt igitur 280. 281? Sane delendi sunt isti, sed ne deletis eis quidem res sana est. Etiam 279 intolerabilis, nisi statuis nutricem quoque Thesei peregrinationem nescire, quod satis absurdum sit. Deinde 275—277 quam arte careant nolo multis verbis exponere: quod nisi quis ipse sentit, vix mihi crediderit. Sed ea quae hoc loco chorum docet nutrix, iam antea sciebat chorus atque spectatores docuit bellis versibus 135 sqq.:

τριτάταν δέ νιν κλύω

τάνδε κατ' ἀμβροσίου

στόματος ἀμέραν

δάματρος ἀκτιᾶς δέμας ἀγνὸν ὕσχειν,

κρυπτῷ πάθει θανάτου θέλουσαν

κέλσαι ποτὶ τέρμα δύστανον.

Id sufficere ad 275—277 damnandos puto. Denique apparet 282 responsum esse ad 273. Delendi sunt 274—

281. Atque hoc loco spero mihi veniam fore si suspicionem paulo audaciorum eloquar. Nescio an conicere liceat quarto aut fortasse tertio ante Christum saeculo histriones primo cantico neglecto, v. 274—277 ad damnum resarciendum dialogo inseruisse²³.

De v. 325—335:

- Φ.Α.* τί δρᾶς; βιάζει χειρὸς ἑξαρτωμένη; 325
ΤΡ. καὶ σῶν γε γονάτων, κοῦ μεθήσομαι ποτε.
Φ.Α. κάκ', ὦ τάλαινα, σοὶ τάδ' εἰ πεύσει, κακά.
ΤΡ. μεῖζον γὰρ ἢ σοῦ μὴ τυχεῖν τί μοι κακίον;
Φ.Α. ὀλεῖ. τὸ μέντοι πράγμ' ἐμοὶ τιμὴν φέρει.
ΤΡ. κάπειτα κρύπτεις χεῖρσθ' ἰκνούμενης ἐμοῦ; 330
Φ.Α. ἔκ τῶν γὰρ αἰσχυρῶν ἐσθλά μηχανώμεθα.
ΤΡ. οὐκὸν λέγουσα τιμωτέρα φανεῖ;
Φ.Α. ἄπελθε πρὸς θεῶν δεξιᾶς τ' ἐμῆς μέθης.
ΤΡ. οὐ δῆτ', ἐπεὶ μοι δῶρον οὐ δίδως ὃ χρεῖν.
Φ.Α. δώσω· σέβας γὰρ χειρὸς αἰδοῦμαι τὸ σόν. 335

Olim iudicavit N. E. S. II. 11 coniungendum esse v. 332 cum 329, ideoque damnavit 330. 331. Simili ratione inductus iussit Hirzelius²⁴ 330. 332 sedem mutare. Pari ego confidentia nego 333 a 326 separari posse, delendosque censeo 327—332. Actionem paulo vehementiorem indicant 325. 326 animumque utriusque feminae concitatum: nullus igitur longis ambagibus locus. Eandem actionem eundemque animum indicant 333. 334. Neque turbant tantum seriem rerum languentque quae interponuntur, etiam per se absurda sunt. Qui tibi interpretaris v. 327? Quid est id malum quod nutrici imminet? Consternatur, sane, cum audit, sed stupet indignaturque magis quam ipsa supplicium patitur.

²³ Similem de Alcestidis versibus nonnullis mihi ortam esse suspicionem confiteor, sed meram suspicionem nolui promere, donec similes locos, si qui forte exstarent, ex ceteris fabulis collegissem.

²⁴ De Eur. in comp. div. arte, 17.

Neque tam anxia cura providet Phaedra ne nutricem dolore afficiat: aliud agit. Si me nimis hoc argumentum premere iudices, velim mihi explices illud *τάλαινα*. Nullo iure appellatur nutrix misera. Priusquam 328 examine-
mus, quaeramus quid sibi velit 329 istud *ὄλεϊ*. Huius vocis difficultatem non sustulerunt editores. Videtur quidem sententiarum contextu satis defendi scriptura *ὄλεϊ*. Continuat v. 327 repugnantiam Phaedra. Atque, ut id statim dicam, conicio interpolatorem cum v. 327 et initium 329 conscriberet spectavisse 353 sqq. Neque scholiastae adnotatio: *εἶτα, φησίν, ἀπολοῦμαι*, confirmat scripturam *ὄλεϊς*: nam alterum sensum praebet *ὄλεϊς*, alterum *εἶτα ἀπολοῦμαι*, utrumque nostro loco incongruum. Sed parum apte cōnectitur istud *ὄλεϊ* vel *ὄλεϊς* cum reliqua versus parte: *τὸ μέντοι πρᾶγμα' ἐμοὶ τιμὴν φέρει*. Quae clausula mihi videtur quasi substructio posita esse qua niteretur v. 331, neque, puto, poteris eam ulla alia ratione explicare. Sed nunc ad 328 redeamus, quem ineptum esse viderunt interpretes. Nova argumenta quibus verissimum id iudicium comprobem non habeo neque tu requiras. Sed mihi persuasum est antiquam nobis traditam esse scripturam neque corruptam. Non audebat scilicet interpolator rerum statum plane negligere: probe observaverat iste nutricem haec pronuntiantem ad Phaedrae pedes iacere, atque unum versuum suorum admodum astute finxit supplicii aptum. Hanc necessitatem obliti sunt qui mutationes magis minusve speciosas inferre studuerunt. De v. 331 velim coniecturam audias prorsus incertam. Talis est versus quem facile quis in memoria teneat. Fortasse existit olim in altera Hippolyto quamvis in contextu dissimili. Apud Senecam Phaedra 598 usa est Phaedra coram Hippolyto secum colloquens his verbis: *honesta quaedam scelera successus facit*.

De v. 353—359:

οἷμοι, τί λέξεις, τέκνον; ὡς μ' ἀπώλεσας.
 γυναῖκες, οὐκ ἀνασχέτ', οὐκ ἀνέξομαι,
 ζῶσ'· ἐχθρὸν ἤμαρ, ἐχθρὸν εἰσορῶ φάος. 355
 ῥίψω μεθήσω σῶμ', ἀπαλλαχθήσομαι
 βίου θανούσα· χαίρειτ' οὐκέτ' εἴμ' ἐγώ.
 οἱ σώφρονες γὰρ οὐχ ἐκόντες, ἀλλ' ὁμως
 κακῶν ἐρῶσι.

Vellem mihi liceret quod de his versibus sentio tacere: nam quos Valckenaerius, vir doctissimus idemque omni elegantia doctrinae affluens, admiratus est 355—357, mihi necesse est pro spurio centone ducere. Tres versus histrones intrusisse conicio, nempe ad ampliorem effectum scaenicum parandum. Vehementer concitatus est nutricis animus, concedo, sed "in omnibus rebus videndum est quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium quam parum". Sed quatenus exhorrescat nutrix primo momento videmus: statim v. 358 sqq. philosophatur. Quod hos excedit modos nimium est. Suspectum semper est unum solum vocabulum in initio versus positum, sicut v. 355 ζῶσα, quo producatetur torqueaturque sensus iam sibi sufficiens versus praecedentis: suspectissimum cum, sicut nostro loco, inconcinna secuntur. Neque fastidii me inculpare tibi licet nisi inscitiae convincere poteris, cum nego illud μεθήσω σῶμα, *corpus dimittam*, accurati Graeci sermonis esse. *Corpus in mare dimittere* (Hel. 1396) satis intellego: etiam *animam dimittere* (Med. 1218) sensui verbi μεθίνασι aptissimum, sed neutri similis est hic locus.

De v. 400—402:

τρίτον δ', ἐπειδὴ τοισίδ' οὐκ ἐξήγγυτον 400
 Κύπριν κρατῆσαι, κατθανεῖν ἔδοξέ μοι
 κράτιστον, οὐδεὶς ἀντερεῖ, βουλευμάτων.

Ita K. editione minore et N. cum Marciano. Weilius scribit:

κατθανεῖν ἔδοξέ μοι,
κράτιστον, οὐδείς ἀντερεῖ, βουλευμάτων.

qua interpunctione et planior fit sensus et languidior. Sed mirabili patientia tolerarunt viri docti spurium 402. Mihi videntur superiores editores scriptoris animum melius perspexisse potioremq; codicum auctoritatem secuti esse, qui sic scripserunt:

κατθανεῖν ἔδοξέ μοι
κράτιστον· οὐδείς ἀντερεῖ βουλευμάτων.

Ut Weilius ita antiqui grammatici, quorum correctiones passi sunt prioris ordinis codices, studebant spuria tolerabilia reddere. Sed notum est interpolatores frustula tragicae dictionis saepe conquisivisse: legitur οὐδείς ἀντερεῖ Alc. 615, τίς ἀντερεῖ, Alc. 1083. Med. 364. Simili ratione suspectum κράτιστον atque σιγῇ 40, ζῶσ' 355.

De v. 453—459:

ἴσασι μὲν Ζεὺς ὡς ποτ' ἠράσθη γάμων
Σεμέλης, ἴσασι δ' ὡς ἀνήρπασέν ποτε
ἢ καλλιπεργῆς Κέφαλον εἰς Θεοὺς Ἔως 455
ἔρωτος οὐνεκ'· ἀλλ' ὅμως ἐν οὐρανῷ
ναίουσι κοῦ φεύγουσιν ἐκποδῶν Θεοῦς,
στέργουσι δ', οἶμαι, συμφορᾷ νικώμενοι.
σὺ δ' οὐκ ἀνέξει;

Ineptos v. 456—458 expellendos esse puto. Initio versus 456 explanatio supervacanea ἔρωτος οὐνεκα per se suspecta est, sed hoc minus grave. Quid tibi fingis esse subiectum verbi ναίουσι? An etiam Semelam Cephalumque? Necessario eundem hic sensum exspectamus quem simili Velati loco invenimus fr. 434:

Ἔρως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται
οὐδ' αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ Θεῶν ἄνω
ψυχὰς χαράσσει κατὰ πόντον ἔρχεται·

*καὶ τὸνδ' ἀπειργεῖν οὐδ' ὁ παγκρατῆς σθένει
Ζεὺς, ἀλλ' ὑπέκει καὶ θεῶν ἐγκλίνεται.*

Nihil potest interponi inter 455 et 459, certe non id quod interpolator sibi indulgens interposuit.

De v. 477—515.

De hac scaena praestantissima qui meam disputationem lecturus es, velim prius perlegas quae egregie disse-ruit W. A. E. 209—220: statim videbis quantum illi viro acceptum referam, quamque cum eo quamvis dissentiens consentiam. Summo ille acumine scaenam prave turbatam in iustam seriem revocare ordine versuum iterum iterumque mutando conatus est. Cur meo iudicio nostrae fabulae salus non hac via sit petenda, breviter exponam. Verissime, puto, opinatur W. ista turbatione afflictam esse Euripidis tragoediam ante legem Lycurgeam. Histrionum igitur aut poetarum qui histrionibus morem gerebant fuit istud facinus: nam alia quae forsitan cogitari possint omni probabilitate carentia mitto. Histriones autem, quod scimus, non solebant versuum ordinem mutare: id aut numquam fecerunt aut rarissimo exemplo²⁵. Neque fas est non quae- rere quo consilio scaenam turbarint. Versus quos falso loco histriones inseruerunt sunt maximam partem eius generis ut bis aut etiam ter id declarent quod poeta semel declaravit, aut ut fusius explanent quod poeta apte pres- seque dixerat. Huius rei exempla nonnulla satis luculenta videor mihi in Alcestide detexisse. Et eadem et prorsus alia est nostro loco interpolationum ratio. Nam ceteris in fabulis qui versus addere voluit eum plerumque necesse erat suis niti viribus, ideoque solent spurii versus originis suae indicia prae se ferre. Sed eis qui Hippolytum studebant augmentis ditare, suppeditabat thesaurus vere Euripidis.

²⁵ Nihil in hac re vincunt scholia ad Med. 356. 379. Didy- mum errasse nemo non videt.

pideus, Velatum dico Hippolytum. Nullus dubito quin huic fabulae adscribendi sint versus nonnulli qui huic scaenae impedimento sunt²⁶. His praemonitis scaenam ordinatim pertractemus.

Versus 477—481:

νοσοῦσα δ' εὖ πως τὴν νόσον καταστρέφου. ·
 εἰσὶν δ' ἐπωδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι·
 φανήσεται τι τῆσδε φάρμακον νόσου.
 ἦ τὰρ ἄν ὀψέ γ' ἄνδρες ἐξέυροίεν ἄν, 480
 εἰ μὴ γυναικες μηχανὰς εὐρήσομεν

eo loco ubi nos legimus tolerabiles esse qui post Wilamowitzi disputationem adfirmat, insanit: petulantiae audaciaeque sit negare eos Euripideos esse²⁷. Simile habent argumentum isti versus ac genuini nostrae fabulae 509—512:

ἔστιν κατ' οἴκους φίλτρα μοι θελκτήρια
 ἔρωτος, ἦλθε δ' ἄρτι μοι γνώμης ἔσω, 510
 ἃ σ' οὐτ' ἐπ' αἰσχροῖς οὐτ' ἐπὶ βλάβῃ φρενῶν
 παύσει νόσον τῆσδ', ἦν σὼ μὴ γένη κακὴ²⁸.

Quam in his versibus sententiam invenit interpolator, gaudebat se eam facili labore iterare posse. Idem argumentum explent 513—515:

26 Cum de nostra fabula iudicium pronuntiaverit Aristophanes Byzantius (cf. Trendelenburgi Gramm. Graec. de arte trag. iudic. rell. 17) quasi sit aliquo modo Velati *διόρθωμα*, facile conicias antiquos criticos hinc maxime explicasse versus utriusque fabulae communes.

27 Contra W. tamen puto *καταστρέφου* ita intellegendum esse ut sit *profliga*: *remedium amoris* est *φάρμακον νόσου*, non *consummatio amoris*. Sed quamvis hanc honestatis speciem prae se ferant ipsa verba, subandimus tamen, minime nego, contrarii sensus surrationales: apertum est poetam non voluisse sensum non esse ambiguum. Sed in structuram Velati Hippolyti, quo referendi sunt hi versus, nunc inquirere non est mei propositi.

28 Ne te fugerit poetam ex industria etiam hanc vocem ambiguo sensu usurpasse.

δει δ' ἐξ ἐκείνου δὴ τι τοῦ ποθομένου
σημεῖον, ἢ πλόκον²⁹ τιν' ἢ πέπλων ἄπο
λαβεῖν συνάψαι τ' ἐκ δύοῖν μίαν χάριν: 515

quos interpolatos esse plenissime mihi persuasit N. E. S. II. 20 sq., Euripideos esse paene persuasit W. A. E. 215. Num locum quemve locum in Velato Hippolyto habuerint, scire non possumus: opinari tantum licet: in Coronifero nullum olim eos habuisse locum mihi est persuasum³⁰. Demonstravit W. quo modo potuisset interpolator hanc scaenam additamentis ornatam in ordinem tolerabilem redigere: non eadem sollertia praeditus fuit antiquus iste ordinator. Neque etiam in hac scaena nihil ex ingenio suo addidit interpolator. Idoneis argumentis damnavit N. E. S. II, 16—18 versum 494:

τοιαῖσδε, σώφρων δ' οὐσ' ἐτύγχανες γυνή,

neque omnino Euripideum hunc versum habere possum. Sed sequentem versum:

οὐκ ἂν ποτ' εὐνήσ' οὐνεχ' ἡδονῆς τε σῆς

delendum esse non mihi persuasit N., neque quicquam in eo quod offendat video. Nam verbis speciosis eisdemque ad dedecus pellicientibus negat nutrix esse scelesta quae parat, quod moribus eius optime convenit. Quod scribere iubet W.:

εὐνοῦς οὐνεχ' ἡδονῆς γε σῆς

mihi displicet: paulo audacius negat ille εὐνήν et ἡδονήν coniungi posse. Porro 500:

²⁹ Ita Reiskius: λόγον libri.

³⁰ Quominus cum W. hos versus Phaedrae adscribamus prohibent Dianae verba 1304—1306:

γνώμη δὲ νικᾶν τὴν Κύπριν πεφρωμένη
τροφοῦ διώλει' οὐχ ἐκοῦσα μηχαναῖς, 1305
ἢ σῶ δει' ὄρκων παιδί σημαίνει νόσον.

Apparet Phaedram non potuisse verbis apertis declarare voluntatem amori obsequendi, priusquam nutrix Hippolyto rem aperuerit.

ἄσχε' ἄλλ' ἀμείνω τῶν καλῶν τάδ' ἐστί σοι

optimo iure delevit N. E. S. VI, 18 sq. Restat corruptus 507:

εἴ τοι δοκεῖ σοι, χρῆν μὲν οὐ σ' ἀμαρτάνειν

lenissima medela eademque efficaci sanandus. Propono scribendum

εἴ τοι δόκει σοι, χρῆν μὲν εὖ σ' ἀμαρτάνειν.

Quod postquam vidi verum esse, non sine gaudio didici Musgravium δόκει scripsisse. Sed cur ille opus fauste inceptum non perfecit vix intellego. Oxymoron illud εὖ σ' ἀμαρτάνειν optime cohaerere cum eis quae iam dixit nutrix non est cur multis verbis demonstrarem. In sequenti versu 508:

εἰ δ' οὖν, πιθοῦ μοι δευτέρα γὰρ ἡ χάρις

confiteor me quamvis invitum ad Wilamowitzi sententiam inclinare, qui negat tolerari posse εἰ δ' οὖν. Necessaria igitur videtur mihi emendatio ἄλλ' οὖν⁸¹.

De v. 670. 671:

*τίνα νῦν τέχνην ἔχομεν ἢ λόγον
σφαλεῖσαι κάθαρμα λύσειν λόγου;*

81 Olim putabam eas voculas nostro loco paene idem valere atque Plat. Apol. 34 D: *εἰ δὴ τις ὑμῶν οὕτως ἔχει, οὐκ ἀξιώ μὲν γὰρ ἔγωγε· εἰ δ' οὖν, ἐπεικῆ ἂν μοι δοκῶ πρὸς τοῦτον λέγειν, κτλ.*: qui locus si apte conferretur, noster locus iuxta interpretandus esset ac si fusius dixisset nutrix: *εἰ δ' οὖν δοκεῖ σοι εὖ ἀμαρτάνειν, εἴτε μὴ δοκεῖ*, hoc est: *eam nunc mittamus dubitationem, aliud agamus*. Atque haec verba ita interpretata cum nutricis vero consilio convenire non negabis. Exemplum tamen quod attuli non satis demonstrat Graecos scriptores eam formulam tali libertate usurpavisse, neque, quod sciam, potest id nisi ex nostro loco concludi. Qua conclusione minus mihi videtur audax esse facilis quam proposui mutatio.

Missa scripturae varietate haec fere lectio versuum e codicibus est eruenda. Scholiasta ad 670 praebet haec: *τίνα νῦν τουτέστι πῶς καθ' ἕκαστον δεσμὸν κατηγορίας ἀπολυσόμεθα τὰ ἐγκλήματα τοῦ Ἰηπολύτου, σφαλεῖσαι τῆς ἐλπίδος, δι' ἧς προσεδοκῶμεν πεῖσαι αὐτὸν ἐπὶ τὴν ἀμαρτίαν.* Num recte statuerit W. A. E. 210 eum scholiastam integrum legisse locum, dubito: minus corruptum tamen eum legisse quam nos legimus persuasum habeo. Propono scribendum:

*τίν' αὖ νῦν τέχνην ἔχομεν, ἐλπίδος
σφαλεῖσαι κάθαρμα λύσειν λόγου;*

τίν' αὖ pro *τίνα*, N. E. S. II. 28.

De v. 867. 868:

*ἔμοι μὲν οὖν
ἀβίωτος βίου τύχα πρὸς τὸ κρανθὲν εἶη τυχεῖν.*

Simplex est medela aptaque, puto, si pro *εἶη* scribis *ἔσται*.
Quod si verum est, omnibus scholiis vetustius est mendum.

De v. 948—955:

*σὺ δὲ θεοῖσιν ὡς περισσὸς ἂν ἀνὴρ
ξύνει; σὺ σώφρων καὶ κακῶν ἀκήρατος;
οὐκ ἂν πιθοίμην τοῖσι σοῖς κόμπους ἐγὼ 950
θεοῖσι προσθεῖς ἀμαθίαν φρονεῖν κακῶς.
ἤδη νῦν αὖχει καὶ δι' ἀψύχου βορᾶς
σίτοις καπήλευ', Ὀρφέα τ' ἀνακτ' ἔχων
βάκχευε πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνοῦς·
ἐπεὶ γ' ἐλήφθης. 955*

Amovendi sunt 951—954. Apertum est hos versus structuram turbare, nam verba *ἐπεὶ γ' ἐλήφθης* necesse est ad 950 referamus. Mysteriori sane initiatus erat Hippolytus: multum tamen interest inter consuetudinem cum dis et mysteriorum societatem, neque hic idoneo nexu coniunctae

sunt res diversae. Neque, puto, de mysteriis tali contemptu locuturus erat rex Atheniensium. Porro in nostra fabula non habet Orphea regem Hippolytus sed Dianam reginam. Venator est, non litteratus homo. Vix mihi persuaseris tamen tres versus 952—954 non esse Euripideos: etiam sanos esse puto. Sed N. E. S. II. 38 ut verbum *βάκχευε* explicaret aptissime contulit Eur. fr. 475, nobis ex Cretum fabula servatum. Ego vix dubitare possum quin nostros versus ab illa fabula mutuatus sit interpolator eadem ratione atque alios versus ab Hippolyto Velato. De simili utriusque fabulae argumento confer Aristoph. Ran. 849. 850. 1043. 1044 et scholia in 849. Sed versus 951 aliam esse rationem puto: nam otiosissimus est neque satis bene aut cum praecedentibus aut cum sequentibus coniunctus. Conicio interpolatorem eum tamquam pontem struxisse quo facilior fieret transitio a 950 ad versus inserendos 952—954.

De v. 1019. 1020:

*πράσσειν γὰρ εὖ πάρεστι, κίνδυνός τ' ἀπῶν
κρείσσω δίδωσι τῆς τυραννίδος χάριν.* 1020

Iure, puto, delevit hos versus Hirzelius⁵². In Marciani scriptura *πράσσειν τε γὰρ πάρεστι* videor mihi docti grammatici artem percipere satis acute corrigentis spuria. Sed res est incerta.

De v. 1029:

ἄπολις ἄοικος, φρυγὰς ἀλητεῶν χθόνα.

Istum versum iam dudum rectissime a Valckenaerio expulsum denuo reducere conati sunt Weilius et W. A. E. 219. Pravis numeris satis damnatur: nam me docuit vir doctissimus, cuius rationes non meum est repetere, Euripidem

52 De Eur. in comp. div. arte, 81.

prima poesis suae aetate ne unum quidem eiusmodi versum condidisse. Et Weilli rationes, quamvis acutae sint, valde improbables esse negari non potest.

De 1038—1050 :

- ΘΗ. ἄρ' οὐκ ἐπιδὸς καὶ γόης πέφυγ' ὄδε,
ὃς τὴν ἐμὴν πέποιθεν εὐδοκῆσι
ψυχὴν κρατήσειν τὸν τεκόντ' ἀτιμάσας; 1040
- ΙΠ. καὶ σοῦ γε κάρτα ταῦτα θαναμάζω, πάτερ·
εἰ γὰρ σὺ μὲν παῖς ἦσθ', ἐγὼ δὲ σὸς πατήρ,
ἔκτεινα τοί σ' ἂν κοῦ φρυγαῖς ἐξημίουν,
εἴπερ γυναικὸς ἦξιον σ' ἐμῆς θιγεῖν.
- ΘΗ. ὡς ἄξιον τόδ' εἶπας· οὐχ οὕτω θανεῖ, 1045
ὥσπερ σὺ σαυτῷ τόνδε προύθηκας νόμον·
ταχὺς γὰρ Αἰθῆς ἕστος ἀνδρὶ δυσσεβεῖ·
ἀλλ' ἐκ πατρῴας φρυγὰς ἀλητεύων χθονὸς
ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀντλήσεις βίον·
μισθὸς γὰρ οὗτός ἐστιν ἀνδρὶ δυσσεβεῖ. 1050

Scriptura εὐδοκῆσι 1039 et codicum auctoritate et contextus necessitate satis commendatur³³. Iure, puto, offendit N. E. S. II. 41 in ὡς ἄξιον 1045. Satis apta mihi videtur esse medela si scribimus ὡς ἀξιῶν, atque hoc verum esse confido. Atque tu si verum esse concedes, necessario mecum consenties otiosum v. 1046 tolerari non posse. Facile conicias interpolatorem explicationem adverbii οὔτω conicientem iam ἄξιον pro ἀξιῶν legisse. Versu praecedenti 1044 antiquam esse Palatini lectionem ἦξιον σ' pro ἦξιους mihi persuadet cum temporum ratio tum totius loci sensus. Sed ut hoc mittamus, versum spurium esse suspicor, quippe

³³ Neque Euripideum esse εὐδοκῆσι vincit Bacch. 641: πρὸς σοφοῦ γὰρ ἀνδρὸς ἀσκεῖν σώφρον' εὐδοκῆσιαν: nam spurium est iste versus. Non erat Bacchus ἀνήρ: atque perverse intellexerat interpolator verba 640: ἐφθίως γὰρ αὐτὸν οἶσω.

qui huius oratiunculæ iuncturam et cum praecedentibus et cum sequentibus rumpat. Nam nullum habet 1041 cum Thesei dicto nexum, nisi quem praebent verba 1040 τὸν τεκόνι' ἀτιμάσας, quae verba necesse est nos per totum Hippolyti responsum subaudiamus, neque verisimile est poetam eorum oblitum esse. Quod cum perspexeris, videbis quantopere langueat 1044. Porro necesse est v. 1045 continuetur et iungatur cum 1043. Concitatus est utriusque viri animus ac per totum diverbium festinat oratio, verbo verbum sequente, mora non interposita. Restat ut moneam asyndeton v. 1045 non modo his rationibus satis excusari, sed etiam confirmare eas. Adscribendus est 1044 absurdo isti studio quo plana explananda curabant. Facile venit interpolatori v. 1045 legenti verbum ἀξιῶ in mentem. Dam-natos 1049. 1050, a Bergkio alterum, alterum a Nauckio, nemo certe hodie defendet. Etiam 1048 languet eumque damnandum habeo. Non debebat Theseus haec minitans oblivisci preces suas quibus mortem Hippolyto imprecatus erat. Puto eundem qui v. 1049 ex 898 confecit etiam 1048 ex 897 confecisse. Neque enim potuerunt interpolatores versus mutatos semper inmutatos in alienum inserere locum. Si mecum de 1048 consenties, videbis interpolatorem indicasse Thesei minas obscuras explanatione dignas esse.

De v. 1452—1456:

ΘΗ. ὦ φίλταθ', ὡς γενναῖος ἐκφαίνει πατρί.

ΙΠ. ὦ χαῖρε καὶ σύ, χαῖρε πολλά μοι, πάτερ.

ΘΗ. ὦμοι φρενὸς σῆς εὐσεβοῦς τε κάγαθῆς.

ΙΠ. τοιῶνδε παίδων γνησίων εὐχον τυχεῖν. 1455

ΘΗ. μή νυν προδῶς με, τέκνον, ἀλλὰ καρτέρει.

Hunc locum sanare conatus est W. A. E. 220 versus ita traiciendo ut ordo hic sit: 1452. 1455. 1454. 1453. 1456: sed pace viri illustris, me iudice non sanavit. Rectissime offenderunt viri docti in 1453, quippe qui cum ceteris nullo

modo conectatur. Neque quicquam proficimus collatis Iph. Taur. 591 et Heracl. 660: nam utroque loco optime inter se coniunguntur sententiae. Sed magis etiam offendit me 1454. Num gaudii exclamatio est illud ὦμοι? An stuporis? Neutrum potest tolerari. Spurii sunt 1453. 1454, quibus expulsis omnia bene se habent.

Quos non tractavi spurios esse puto Hippolyti versus 625. 626 a Nauckio in suspicionem vocatos, 691 a Brunckio, 810 a Nauckio, 825 a Brunckio, 871—873 a Nauckio, 875 a Wilamowitzio, 970 ab Hirzelio, 1034. 1035. 1225 a Nauckio, 1419 a Valckenaerio.

APPENDICVLA I.

Curabant igitur absurdi homines ne tragici quidquam viderentur omisisse. Verba sunt haec Wilamowitzi A. E. 206. Eiusdem generis interpolatores id quoque curabant, ne tragici quicquam quod tetigissent parum plane ac plene expressisse viderentur. In quorum numero nullus dubito quin habendus sit is cuius est Hec. 570. Contextus hic est:

ὁ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων ὄκτω κόρης,
 τέμνει σιδήρω πνεύματος διαρροάς·
 κροννοὶ δ' ἐχώρουν. ἦ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὄμως
 πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
 κρύπτειν θ' ἂ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεῶν. 570
 ἐπεὶ δ' ἀφῆκε πνεῦμα θανάσιμω σφαγῇ κτλ.

Narrat Talthybius Polyxenae mortem. Versum praecedentem 569 fortasse minus poeticum esse indices, tamen vere est Euripideus. Nam flagrabat ille studio aeternum illud aenigma solvendi, mulierum dico naturam, cuius rei documenta in nulla non invenies fabula: atque plus semel hoc studio deceptus aberravit a vera poesi. Nostro loco

mortem oppetebat Polyxena fortitudine animi paene divina: mulier tamen erat, neque supremo illo momento potuit gestum decentem ac muliebrem non curare. Haec quae excogitaverat Euripides ut omitteret animum inducere non potuit. Atque noscere si vis quam vere nobilis feminae naturam in hac re expresserit poeta, compares, velim, quae Plinius narrat de supplicio Corneliae Maximillae vestalis Epist. IV, 11: *quin etiam cum in illud subterraneum demitteretur, haesissetque descendenti stola, vertit se ac recollegit, cumque ei manum carnifex daret, aversata est et resiliuit, foedumque contactum quasi plane a casto puroque corpore novissima sanctitate reiecit, omnibusque numeris pudoris πολλήν πρόνοιαν ἔσχεν εὐσχημῶν πεσεῖν*. Neque desunt exempla recentioris memoriae: unum proferam. Robertsonus in Annalibus Scoticis lib. VII sub anno 1587 haec de morte Mariae infelicis Scotorum reginae narrat: *she then prepared for the block by taking off her veil and upper garments; and one of the executioners rudely endeavouring to assist, she gently checked him, and said, with a smile, that she had not been accustomed to undress before so many spectators, nor to be served by such valets.*

Sed quisnam credere potest summum poetam versus 569 sententiam hac foeda atque absurda continuatione inquinare voluisse? Etiam forma v. 570 prodit interpolatoris ingenium. Enuntiati cuius is sensum explere vel explanare studuit constructionem continuavit, id quod, si animum eius ac rationes spectas, consentaneum erat. Nam testificantur utriusque ordinis codices lectionem *κρύπτειν θ'* traditam esse: praeterea testificantur, si recte interpretor, veterem fuisse grammaticorum emendationem, qui iuberent *κρύπτουσι* scribere. Bene monuerunt illi grammatici verum traditum mendosum esse: nam ad sententiam nihil accedit, declaratur tantummodo quem ad modum caverit illa ut decenter caderet. Participium igitur expectamus, atque nullus dubito quin participium accepissemus, nisi

interpolatoris ingenium somnolentum coartatum fuisset vinculis eius formae quam orationi dederat poeta. Sed nego participium, quod omnes fere post Brunckium editores in textum admiserunt, ampliore niti auctoritate. Licet tamen e codicum notis, ut iam dixi, concludere hanc satis veterem esse emendationem. Atque versum nostrum ita emendatum attulerunt Hermogenes, de Inv. IV. 12. p. 181 W., Clemens Alexandrinus Strom. II, p. 506 ed. Potter. et Eustathius, ad Hom. Il. B. 262. Apparet igitur hos viros veterem illam emendationem probasse: amplius nihil. Etiam aliud in isto versu inesse vitium bene perspexit Clemens, qui scripsit:

κρύπτουσ' ἂ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων ἐχρῆν.

Satis horrida est sane illa longarum syllabarum in versus fine iteratio, ἀρσένων χρεών; mihi tamen videtur paulo licentius mutasse Clemens. Sed ut concedamus κρύπτουσ' legitimam esse scripturam, estne veri simile Euripidem, qui a suo studio nihil muliebri alienum habebat, mulieris εὐσχημοσύνην tam anguste definiisse?⁸⁴ Sed felici casu scimus veteres grammaticos etiam alteram viam nostri loci castigandi iniisse. In codice Guelferbyitano ex-

84 Mirabilis est Weilli in hunc locum adnotatio, quam totam exscribere libet: *Hermogène l. c., qui vante l'élévation du premier de ces vers (σεμνῶς εἰπῶν), trouve le second faible, vulgaire et de mauvais goût (εὐτελὲς καὶ κοινὸν καὶ κακόςηλον). Ovide, qui les a reproduits l'un et l'autre, Metam. XIII, 479 sq., n' était apparemment pas de l'avis de ce rhéteur. On voit cependant par son imitation que la simplicité d'Euripide avait besoin, au siècle d'Auguste, d'un peu d'ornement, d'un peu de ce σεμνόν que réclame Hermogène. Il dit: Tunc quoque cura fuit partes, velare tegendas, cum caderet, castique decus servare pudoris.* Prorsus consentiebat Ovidius cum Hermogene: non modo simplicitatem sprexit — in hac parte videtur mihi Weilius Euripidem deridere — sed totam formam et ordinem orationis mutavit, neque eam decori definitionem omnino dedit quam Euripidi subdidit interpolator.

stat hoc scholion, quod Thomae Magistro adscribit Dindorfius: *ἔπεσεν εἰς τὸ κακόζηλον, ὅπερ κακίζουσι οἱ ὀβελίζοντες.* His *ὀβελίζουσι* adstipulor. Quinam fuerint nescimus: docti viri, qui fortasse rem illustrare potuissent, plerumque Thomam spreverunt³⁵. Sed vituperat istum versum Hermogenes loc. indic. propter τὸ κακόζηλον: facile igitur coniciamus eos quos memorat Thomas Magister *ὀβελίζοντας* ante Hermogenis tempora floruisse. Atque si quaerimus quos cuiusque generis fontes uterque scriptor adhibere potuerit, nescio an opinari liceat versum ut spurium a grammaticis scholae Alexandrinae notatum fuisse.

APPENDICVLA II.

In disputatione de Alc. 526. 527 dixi interiectionem *ᾄ* uno legi loco, quem spurium esse suspicarer. Is locus est Hercules v. 629—636:

ᾄ.

*οἶδ' οὐκ ἀφιᾶσιν, ἀλλ' ἀνάπτονται πέπλων
 τοσῶδε μᾶλλον· ὧδ' ἔβητ' ἐπὶ ξυροῦ; 630
 ἄξι' λαβῶν γε τούσδ' ἐφορκίδας χερσῶν,
 ναῦς δ' ὧς ἐφέλξω· καὶ γὰρ οὐκ ἀναινομαι
 θεράπευμα τέκνων. πάντα τὰνθρώπων ἴσα·
 φιλοῦσι παῖδας αἵ τ' ἀμείνονες βρατεῶν
 οἳ τ' οὐδὲν ὄντες· χρήμασιν δὲ διάφοροι· 635
 ἔχουσι, οἳ δ' οὐ· πᾶν δὲ φιλότεκνον γένος.*

Conicio hos versus ab histrione quodam fictos fuisse, qui hoc loco scaenicam ostentationem paullo ampliorem parare vellet. Quosnam herois mores studebat scriptor exprimere? Ut videtur, garrulitatem patris familias. Sed ut concedam poetam id hoc loco bene facere potuisse, num

35 Cf. e. g. Wilamowitz. disp. de Rhesi scholiis, 7.

bene fecit? Herculis fabula tragoedia est, neque oportet heroem eosdem ostendere mores quos in satyris. Tragicus parens quo modo filiorum amorem declarat si discere vis, velim legas Megarae verba; v. 280. 281:

ἐγὼ φιλῶ μὲν τέκνα· πῶς γὰρ οὐ φιλῶ
ἄδικτον; ἀμόχθησα;

et Herculis verba 574—582: •

τῷ γὰρ μ' ἀμόνειν μᾶλλον ἢ δάμαρτι χρῆ
καὶ παισὶ καὶ γέροντι; χαϊρόντων πόνοι· 575
καὶ δεῖ μ' ὑπὲρ τῶνδ', εὔπερ οἶδ' ὑπὲρ πατρός,
θνήσκειν ἀμόνοντ' ἢ τί φήσομεν καλὸν
ὑδρα μὲν ἐλθεῖν εἰς μάχην λέοντί τε
Εὐρυσθέως πομπαῖσι, τῶν δ' ἐμῶν τέκνων 580
οὐκ ἐκπονήσω θάνατον; οὐκ ἄρ' Ἑρακλῆς
ὁ καλλίνικος ὡς πάροιθε λέξομαι³⁶.

At enim, dixerit quispiam, voluit poeta nostro loco tragicam ironiam, quae vocatur, quam maxime augere: liberos interfecturus est Hercules: oportet eum inter liberos amorem paternum plane ostendere. Sane hoc voluit Euripides, sed vide quid probet hoc argumentum. Nonne satis est quod Herculem dicere finxit poeta loco supra proposito, 574 sqq.? Declarat ille se libenti corde mortis periculum pro liberis ingressurum esse: post liberos interficit. Nonne haec inter se bene respondent? Nonne haec ad miserationem movendam satis? unam rem quam fortasse levem habebis, leviter tangam. Solent personae tragicae, postquam exeundi consilium ceperunt, perbrevis tempore exire. Dicit Hercules v. 622:

ἀλλ' εἶ, δμαρτεῖτ', ὦ τέκν', εἰς δόμους πατρί.

Consentaneum igitur erat eum post 628:

οὐ γὰρ περρωτὸς οὐδὲ φευξείω φίλους

³⁶ Ineptum quem omisi v. 576 optimo iure delevit Herwerdenus. Perverse intellexerat interpolator illud χαϊρόντων πόνοι. In 575 recte scripsit W. A. E. 229 τεκόντι pro γέροντι.

statim exire cum liberis et uxore. In ipso sermone, missis eis quae emendatione sanari possint, displicent haec. Primum interiectio $\bar{\alpha}$ mihi non bene hoc loco posita esse videtur. Id tamen argumentum fortasse non est premedum. Deinde valde displicet illud $\nu\alpha\tilde{\iota}\varsigma \delta' \omega\tilde{\varsigma} \epsilon\phi\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\omega$. Euripideum est $\epsilon\phi\omicron\lambda\kappa\acute{\iota}\varsigma$, atque bene et pulchre usurpavit poeta duobus locis, And. 200:

*πότερον ἔν' αὐτῇ παῖδας ἀντὶ σοῦ τέκω
δοῦλους ἐμαντῆ τ' ἀθλίαν ἐφοκίδα;*

et Hercul. 1424:

*ἡμεῖς δ' ἀναλώσαντες ἀισχύνας δόμον,
Θησεῖ πανώλεις ἐψόμεθ' ἐφοκίδες.*

Multo minus tragice idem vocabulum nostro loco usurpavit scriptor: sed hoc mittamus. Prorsus indigna magno poeta est illa metaphorae explicatio paene etymologica $\nu\alpha\tilde{\iota}\varsigma \delta' \omega\tilde{\varsigma} \epsilon\phi\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\omega$, quae nihil novi profert oletque crassiorum musam poetae qui quam mutuatus erat figuram Euripideam difficilem intellectu iudicabat. De sequentibus ut in re humili, humili utar argumento. Nam carent hi versus cum tragica sublimitate tum poetica veritate. *Πάντα τᾶνθρώπων ἴσα* utcumque interpretaris, cum legas, si illud $\kappa\alpha\acute{\iota} \gamma\acute{\alpha}\rho \omicron\tilde{\nu}\kappa \acute{\alpha}\nu\alpha\acute{\iota}\nu\omicron\mu\alpha\iota \theta\epsilon\rho\acute{\alpha}\pi\epsilon\nu\mu\alpha \tau\acute{\epsilon}\kappa\omega\nu$ respicis, non potest te fugere virorum magnam partem reapse puerorum curam recusare, talem saltem qualem tunc exercebat heros, neque, nisi id verum esset, ullum habitura fuisse sensum Herculis verba $\kappa\alpha\acute{\iota} \gamma\acute{\alpha}\rho \omicron\tilde{\nu}\kappa \acute{\alpha}\nu\alpha\acute{\iota}\nu\omicron\mu\alpha\iota \theta\epsilon\rho\acute{\alpha}\pi\epsilon\nu\mu\alpha \tau\acute{\epsilon}\kappa\omega\nu$, quibus quod agit explanat vel defendit ostenditque se non sicut omnes homines, sed plus quam plerosque, liberos amare. Denique videbis quid intersit inter Euripidem et absurdum eius imitatore, si comparaveris Eur. fr. 334:

*εἷς γὰρ τις ἔστι κοινὸς ἀνθρώποις νόμος
καὶ θεοῖσι τοῦτο δόξαν, ὡς σαφῶς λέγω,
θηρῶν τε πᾶσι, τέκνα τίκτουσιν φιλεῖν.
τὰ δ' ἄλλα χωρὶς χρώμεθ' ἀλλήλων νόμοις.*

SCRIPTOR DE VITA SVA.

Natus sum Iohannes Henricus Wheeler Auburnae vico Massachusettensium anno h. s. LI a. d. VII kal. Oct. patre Gilberto matre Francesca e gente Parkinson. Patre optimo iam orbatus sum. Anno LXVII superato examine receptus sum inter cives academicos Universitatis Harvardianae. Ibi per quattuor annos et aliorum doctorum virorum institutione usus sum et Andersoni Flaggi Goodwini Greenoughi Lani, quos praecipui honoris causa nomino, quippe qui me ad antiquarum litterarum studia quam maxime excitarent et studia mea coluerint. Anno LXXI superatis examinibus summa auctoritate universitatis Harvardianae baccalaureus artium declaratus sum. Per annos insequentibus variis occupabar curis et negotiis atque languebant studia: anno tamen LXXV collectis horarum subsecivarum fructibus examen iustum superavi atque auctoritate universitatis Harvardianae artium magister declaratus sum. Deinde iterum per annum languebant studia, sed auctumno anni LXXVI felici fortuna mihi contigit ut me Baltimoram conferre possem, ubi per annum suavi consuetudine atque doctrina elegantissima Gildersleevi viri clarissimi fructus sum. Baltimoreae docuerunt me etiam Lanmanus et Whitneius viri illustres. Auctumno anni LXXVII Lipsiam me contuli ubi per sex menses scholas frequentavi virorum praestantissimorum Brugmani Curtii Lipsii Windischi. Vere anni LXXVIII

almam studiorum sedem Rhenanam adii atque adhuc civis academicus Bonnensis sum. Bonnae me docuerunt viri amplissimi Bernaysius Buechelerus Leo Vsenerus. Concessit mihi Buechelerus ut exercitationibus epigraphicis suis interessem. Buecheleri et Vseneri benevolo de me iudicio factum est ut in seminarium philologicum Bonnense sodalis ordinarius reciperer.

Praeceptoribus meis omnibus gratias me semper habiturum esse profiteor, imprimis vero quattuor viris Buecheleri Gildersleeve Goodwino Vsenero, qui quanta quamque grata benevolentia studia mea coluerint dici non potest.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Thuc. III. 65: σωφρονισταὶ ὄντες τῆς γνώμης καὶ τῶν σωμάτων τὴν πόλιν οὐκ ἀλλοτριοῦντες, ἀλλ' ἐς τὴν ξυγγένειαν οἰκειοῦντες. Post σωμάτων interpungendum est. Ita intellegendum est ἀλλοτριοῦντες ut sit *alienantes*. Cf. Sall. Iug. 48, 1: *urbs maxima alienata*.

2. Thuc. V. 22: νομίζοντες ἤμιστα ἂν σφίσι τοὺς τε Ἀργείους, ἐπειδὴ οὐκ ἤθελον Ἀμπελίδου καὶ Λίχου ἐλθόντων ἐπισπένδεσθαι, νομίσαντες αὐτοὺς ἄνευ Ἀθηναίων οὐ δεινοὺς εἶναι (πρὸς γὰρ ἂν τοὺς Ἀθηναίους, εἰ ἐξῆν, χωρεῖν) καὶ τὴν ἄλλην Πελοπόννησον μάλιστα' ἂν ἡσυχάζειν. Restituto secundum Stahlum ordine verborum restat ut deleatur *νομίσαντες*. Cetera bene se habent.

3. Plat. Prot. p. 328 C., in fine cap. XVI, additamentum ineptum *νέοι γὰρ* non est ipsi Platoni tribuendum.

4. Aristot. Eth. Nic. I. 7, sub. fin.: τῶν ἀρχῶν δ' αἰ μὲν ἐπαγωγῇ θεωροῦνται, αἰ δ' αἰσθήσει, αἰ δ' ἐθισμῶ τινι, καὶ ἄλλαι δ' ἄλλως. Ita Bekkerus. Delendum est *καὶ*.


5. Varro de poetis libro I: deinde ad Siculos se applicavit. Priscian. IX. 32, p. 469 Hertz. Non Plautum, quod cum Bergkio de rell. com. Att. ant. p. 148 tum aliis visum est, sed Ennium dicit Varro.


6. Quintil. XII. 11. 26 sq.: est, ut Cicero ait, *pulchrum in secundis tertiisque consistere. Neque enim, si quis Achillis gloriam in bellicis consequi non potest, Aiakis*

aut Diomedis laudem aspernabitur, nec qui Homeri non, Tyrtæi. Qui factum sit ut in epicorum numero Tyrtæum haberet, Quintilianus ipse significat X. 1. 56 his verbis: *Quid? Horatius frustra Tyrtæum Homero subiungit?* Cf. Hor. A. P. 401 sq.

7. Quintilianus in iudicio de Lucilio nihil ab Horatio dissentit: omnia quae habet ab Horatio mutuatus est forma tantum mutata.

8. De suffragio legibus melioribus utuntur Massachussettenses quam qui Mariae Terram incolunt.





JAN 25 1896

JAN 16 1902

Ge 36.945
De Alcestidis et Hippolyti euripide
Widener Library 007155993



3 2044 085 118 123